IGNEUS ET SANGUINEUS
ZODIACUS
AMORIS JESU
CRUCIFIXI,

SIVE

Duodecim ſigna ejus Amoris erga Sodales Chriſti in cruce agonizantis, totidem exhortationibus, & affectibus in menſtrua Congregatione Ijsdem Sodalibus explicata

Per

R. P. PHILIPPUM KISELIUM, Fuldenſem,
è Societate JESU.

BAMBERGAE,
Impenſis JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

M DC LXXIV.

JESU AMORI CRUCIFIXO.

JESU, DEUS cordis mei! *Suſcipe à ſervorum tuorum minimo & indigniſſimo, unicum ſuſpirium magni tui quondam Amatoris; ſic ille quotidie ſuſpirare & aſpirare ſolebat.* Redemptor mi! utinam me, utinam corporis, animique mei vires omnes diſtillare poſſem in unicam guttulam guſtûs, & beneplaciti divinæ tuæ Majeſtatis. *Addam ego paucula: Utinam has meas exhortationes ad tuos ſodales, utinam affectus, omnes lineas, omnes literas & characteres, utinam minutiſſima puncta, utinam omnes cogitationes, quas in Seraphicâ Scholâ tui Amoris mihi ſuggerere dignatus es, utinam omnia ſimul in ardenti clibano flagrantiſſimi tui pectoris, & dulciſſimi Cordis diſtillare poſſem in unicam guttulam guſtus & beneplaciti Divinæ tuæ Majeſtatis. Aliam mercedem pro omni labore, & in hâc & in alterâ vitâ non poſtulo, quàm ut tibi JEſu Crucifixe placeam, præcipuè ultimo momento vitæ meæ, quod in ſanguineas manus tuas unicè tibi commendo.*

Digitized by Google

MENSE JANUARIO.

SOL EST IN AQUARIO.

EXHORTATIO I.

IN MENSTRUA CONGREGATIONE JESU IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ 31. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

JEſus crucifixus eſt verus & vivus Aquarius, ex cujus ſanctiſſimo & aperto latere ſalutiferæ fluunt aquæ dulciſſimi & ardentis erga nos amoris, hinc iterum noſtro dignus amore.

§. 1. *Deſiderat Auctor deducere ſuos ſodales ad Scholam amoris, ſive apertum cor JEſu in cruce.*

§. 2. *Propoſitio de duodecim ſignis Zodiaci.*

§. 3. *Inter quæ, primum eſt Aquarius.*

§. 4. *Aquarius cæleſtis eſt Chriſtus crucifixus ex ſanctiſſimis vulneribus cum ſanguine copioſe effundens aquas gratiarum.*

§. 5. *Et quidem inſtar torrentis, ut oſtendat ſe amare fortiter & & ſuaviter.*

§. 6. *Talis debet eſſe amor noſter mutuus erga Crucifixum.*

§. 7. *Torrens amoris ex latere Chriſti erumpens eſt ſimul torrens deſideriorum.*

§. 8. *Vt & nos toti deſideremus amare JEſum.*

§. 9. *Pulchrum dictum S. Petri Apoſtoli.*

§. 10. *Filiorum hujus ſaculi varia & vana ſunt deſideria, deſiderium noſtrum eſt amare JEſum.*

Anno

ANno hoc ineunte milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto; in iis, quas ad ſodales Chriſti in cruce agonizantis habitaturus ſum exhortationibus, cogito eos ducere ad ſcholam ſancti amoris. Hæc ſchola ante annos mille ſexcentos, & amplius, aperta fuit, cum in monte Calvariæ, Longinus ſuâ lanceâ latus & cor JESU crucifixi aperuit; hæc eſt illa ſchola, illud gymnaſium ſancti amoris, ad quod hoc anno deducam amantiſſimos meos ſodales. Porta & ingreſſus omnibus patet, ſed præcipuè illis, qui ſe diſcipulos, ſervos, imò filios JEſu crucifixi, quales vos eſtis mei ſodales, profitentur. Primus magiſter & Doctor, qui in hâc ſcholâ docuit modum amandi, eſt ille idem, cujus latus fuit apertum. Cathedra fuit ſanctiſſima crux; liber, divinum ejus corpus: charecteres, innumera vulnera; commata & puncta, guttæ pretioſi ſanguinis; atramentum, lachrymæ & letalis ſudor! calami; clavi, virgæ & ſpinæ! ſcriba, cœleſtis amor! Omnia quæ in hoc libro ſcripta ſunt, contraham ad dua puncta. 1. Quomodo & quantum nos amarit JESUS crucifixus. 2. Quomodo & quantum ſodales meos illum viciſſim oporteat amare & diligere. Finis ſive intentio erit, ut mediante hoc amore, cum ferventi oratione roſarii quinque ſanctiſſimorum vulnerum, obtineamus felicem mortem, qui eſt unicus hujus congregationis ſcopus.

§. 1. Deſiderat Auctor deducere ſuos ſodales ad ſcholam amoris; ſive apertum cor Ieſu in cruce.

Sed, ut in materia, quæ nimis forſan univerſalis eſt, ad magis particularia deſcendam; quia duodecim in anno ſunt menſes, & proinde totidem video opus eſſe exhortationibus; duodecim elegi ſigna ſive ſymbola, ex quibus colligere poterimus, inprimis, quantus ſit & qualis amor, quo nos complexus eſt JEſus crucifixus; quantus item & qualis ſit ille, quo nos illum viciſſim proſequi oportet; potiſſimum tùm, cùm in menſtruâ congregatione accurrimus ad venerabile Sacramentum, & dovotam hanc ſtatuam Crucifixi, ut ferventi oratione, ab illo felicem vitæ terminum exoremus. Dum verò duodecim memini ſignorum, non dubito quorundam cogitationibus occurrere, cœleſtem illum circulum in duodecim diviſum ſigna,

§. 2. Propoſitio; de duodecim ſignis Zodiaci.

 quem

quem Zodiacum vocamus. Signa illa ſunt, Aquarius, Piſces, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus. Bene habet? quandoquidem veſtræ cogitationes hæc mihi ſigna ſuggerunt, abſit ut ea rejiciam; quin potius conabor per DEI gratiam vobis oſtendere, quomodo ſol juſtitiæ, cœleſtis amor, Jeſus crucifixus, in ſanguineo & igneo amoris circulo, ſive Zodiaco, illa percurrerit; dum charitate perpetuâ & immensâ dilexit nos; præſertim dum ex dilectione nimiâ, vitam & ſanguinem ſuum in cruce pro nobis profudit.

§. 3. *Inter quæ primum eſt Aquarius.*

Signum Zodiaci cœleſtis, quod vocamus Aquararium, pictores ſic ſolent oculis noſtris proponere. Pingunt maſculum cum urnâ vel conchâ, ex quâ copioſam effundit aquam. Naturam, effectus, influentias, atque operationes hujus ſigni videre licebit apud Aſtrologos: anguſtiæ præfixi mihi temporis non permittunt me illis inhærere. Sufficiat talia inſinuaſſe. Sola ejus pictura, meæ exhortationi de amore Crucifixi, materiam ſatis copioſam ſubminiſtret.

§. 4. *Aquarius cœleſtis eſt Chriſtus crucifixus, ex SS. vulneribus, cum ſanguine copioſè effundens aquas gratiarum.*

In ſanguineo & igneo meo amoris Zodiaco, vir ille, qui eſt vir dolorum, eſt cœleſtis Aquarius. Aſpicite vulneratos in cruce pedes! an non ſunt conchæ, tornatiles, ex Hyacinthis, ornatæ carbunculis, floridæ roſis, quæ non aquas tantùm gratiarum, ſed & ſanguinem, imò cum ſanguine, igneos rivulos amoris copioſiſſimè effundunt? Et quid vulneratę manus, niſi phialæ aureę, & gemmeę conchæ, plenæ aquis, & ſangine in vitam æternã ſalliente? Concha elegantiſſima Jeſu crucifixi, eſt vulneratum cor, ex quo non aquæ frigidæ, ſed calidiſſimæ thermæ, plenæ ignibus amoris ſcaturiunt. O mi JEſu crucifixe! O cœleſtis amor! O ſanguineum ſignum viri doloris! ecce alias phialas & conchas, ecce corda meorum ſodalium! in quæ effundas aquas, ſanguinem & prunas tui amoris! Viden'? ideo hic coram ſanctiſſimo Sacramento flectimus genua noſtra, ut poſtquam per ferventem orationem roſarii quinque ſanctiſſimorum tuorum vulnerum, per ardentia ſuſpiria, per ignea deſideria aperuerimus & dilataverimus corda noſtra, tu illa, veluti aureas conchas, & gemmeas phialas, aquâ tuarum gratiarum, ſanguine

tuorum

tuorum vulnerum , prunis tui amoris, repleas; ut ſicuti tu amaſti nos, ſic nos quoque mutuo tui amore ardeamus.

§. 5. Et quidem inſtar torrentis, ut oſtendat ſe amare fortiter & ſuaviter.

Dum urnas & conchas cœleſtis Aquarii aſpicio curioſius, adverto, rivulos, qui effluunt, erumpere veluti torrentes, id eſt, cum magnâ vi & impetu. Tales ſunt rivuli ſanguinei & ignei, qui effluunt ex fontibus ſive vulneribus Salvatoris: effluit ex illis quidam torrens voluptatis, id eſt, amor JEſu crucifixi erga nos fuit potens, vehemens, rapidus, fortis, ſed ſimul dulcis & ſuaviſſimus. Dulci amore amavit nos amor noſter; adeò ut clavi in manibus & pedibus fuerint illi dulces, *quia amavit*. Dulces in capite fuerunt ſpinæ, *quia amavit*. Dulcia in toto corpore profunda & doloroſa vulnera, *quia amavit nos*. Dulcis & mollis, imò floridus fuit illi lectulus crucis, *quia amavit*. Fel & acetum fuit mel; quia fuit potus amoris. Sic ſuaviter dilexit, & ſimul fortiter; amor ejus fuit torrens, quia dilexit in finem, uſque in mortem.

§. 6. Talis debet eſſe amor noſter mutuus erga crucifixum

O mi JEſu! ſic cupio, ut te ament mei ſodales. Suaviter! ut aqua tribulationis nobis quoque ſit dulcis, quia amamus te, mi JEſu! vis nos tuis clavis configere cruci? fiat! quia amamus te; hi clavi nobis erunt dulces. Vis nos pungere tuis ſpinis? fiat; ſpinæ tuæ nobis erunt roſæ, quia amamus te. Placet tibi propinare nobis fel? fel erit mel, quia amamus te. Placet tibi, ut jaceamus in lectulo crucis? hic quieſcemus, quia amamus te. Amare eſt quies, dulcedo & ſomnus paradiſi. Et cupimus ſimul amare fortiter, ſive uſque in finem, uſque ad mortem. Hæ ſunt illæ gratiæ, quas jam jam petituri ſumus ardenti ad quinque ſanctiſſima tua vulnera oratione.

§. 7. Torrens amoris, ex latere Chriſti erumpens, eſt ſimul torrens deſideriorum.

Torrentem voluptatis, qui ex vulneribus JEſu crucifixi profluit, vocant è ſanctis Patribus nonnulli, *torrentem deſideriorum*; talis ſcilicet fuit Chriſti amor erga nos, plenis cœleſtibus deſideriis. Ex his orta fuit illa ſitis, de qua in cruce, dum ſanguineum & igneum percurrit Zodiacum, conqueſtus fuit, illâ voculâ, *Sitio*. O myſterium! inter aquas, inter torrentes gratiarum, inter ſanguineos rivulos, inter lachrymas, inter copioſiſſimum ſudorem ſitit crucifixus amor! Hæc eſt natura amoris; veniunt ſimul in ſcholam amoris, amor eſt deſiderium, Qui amat, deſiderat, & qui deſiderat,

Digitized by Google

ſiderat, amat. Amare, eſt ſemper ardere deſiderio rei amatæ, ideo Chriſtus D. quia amavit, noſtrarum deſideravit in cruce ſalutem animarum. Totus in cruce fuit amor, totus fuit deſiderium. Ejus oculi natantes in ſanguine & lachrymis deſiderant. Caput coronatum ſpinis, eſt plenum deſideriis. Vulnera quantùm hiant, tantùm deſiderant. Sanguis undequaque effluens deſiderat. Deſideriis erga nos plenum eſt cor ejus; ſic amavit nos, ſic deſideravit noſtrum amorem. Sic ſitit noſtram ſalutem. Torrens deſideriorum erumpit ex ſanctiſſimis vulneribus Crucifixi. Totus ardet cœleſtis Aquarius in igneo hoc Zodiaco.

§. 8. *Ut & nos toti deſideremus amare Jeſum.*

Hic ego ardenter deſidero, ut ex cordibus noſtris ſimiles erumpant deſideriorum torrentes. Ejuſmodi opto, ſit ſitis, quâ mei ardeant ſodales. Sic modò volumus orare, ut oculi noſtri deſiderent, ut lachrymæ & gemitus noſtri deſiderent; ut omnia verba, ut linguæ, ut pectora & ora, ut memoria, ut intellectus & voluntas, ut affectus & cogitationes noſtræ nil aliud deſiderent, quàm diligere & amare Jeſum crucifixum, ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus. Hoc cupio, ut ſuſpiremus ad illum cum S. Aug. *O fons vitæ! vena aquarum viventium! quando venies, ut ſatiem ex aquis miſericordiæ ſitim meam! ſitio Domine! fons vitæ es, ſatia mè. Videbone diem illum, diem inquam, jucunditatis & lætitiæ: diem quam fecit Dominus, ut exultemus & lætemur in eâ.* Sic nobis ſperare licet, Auditores; interim in hâc valle lachrymarum ex fontibus Crucifixi deſideriorum noſtrorum ſitim ſatiare poſſumus.

§. 9. *Pulchrum dictum S. Petri Apoſtoli.*

S. Petrus Apoſtolus interrogatus, cur ſemper fleret, reſpondit: *Deſiderio Domini mei.* Et cur mei ſodales tanto fervore orant? Mi JEſu! deſiderio tui! Cur gemunt? deſiderio tibi placendi! Cur triſtes elevant oculos, plenos ſuavibus lachrymis? Mi JEſu! deſiderio tui amoris. Cur mori deſiderant ſanctè? deſiderio te videndi! quia amant te, deſiderant te.

§. 10. *Filiorum hujus ſæculi, varia & vana ſunt deſideria. Deſide-*

Deſiderant filii hujus ſæculi, quod volent. Quàm multi toti ſunt in deſiderio auri & divitiarum? Aurum noſtrum, divitiæ noſtræ ſunt amores JEſu crucifixi. Multi ſua ſtudia & deſideria conſecrant deliciis & voluptati: nos, nos totos conſecramus JEſu crucifixo. Deſiderant multi longævam vitam; mei ſodales, quando-

cunque

cunque DEO ita placitum fuerit, ſanctam mortem inter brachia Crucifixi. S. Gertrudi aliquando dixit DEus; *Velim mei amorem ita in te conſerves, ut homo retinet halitum & ſpiritum ſuum, ſine quo nequit vivere.* Hoc modo cupio meos ſodales conſervare ſuum amorem erga Chriſtum Crucifixum, ſemper & ubique, dies noctesque, & potiſſimùm hâc horâ Congregationis. Prout corpus millies & millies ſuſpirans anhelabit; toties hâc horâ ſuſpirantes anhelabimus ad JEſum. Hoc fecit, qui cum cœleſti Sponſo hoc ſtatuit pactum. Mi JEſu, quoties ſpiro, & reſpiro, toties amo te. Mi JEſu, Spes ſuſpirantis animæ! vellem, ut cor meum, quemadmodum ſemper movetur, ut vitam det corpori; ita ſemper amet te; ſemper moveat ſe, ut foveat amorem. Hæc ſunt illa ſuſpiria amoris, quæ cœlum, & cor DEI penetrant. Sed quam diu dictio mea innatat huic dulciſſimo torrenti amoris, & deſideriorum?

Necdum exhauſta eſt liberalitas cœleſtis Aquarij, ſive JEſu Crucifixi. Inter torrentes amoris, ex conchis SS. Vulnerum video effluere rivulos nectaris & balſami. Intelligo per ſuaviſſimos hos liquores, illud gaudium, illam voluptatem, illas delicias, quæ ſunt effectus Amoris erga JEſum Crucifixum. Neque enim ille ſine ſuavitate amari poteſt. O dulcedo, quæ paradiſum inebrias! quantò magis corda noſtra! O ſuavitas! quæ ſuavem facit omnem animam, quæ guſtat, quid ſit amare JEſum! O Divinitas! quæ ſola eſt pelagus & fons omnis dulcedinis. Mi JEſu! hâc horâ, non eſt nobis delectatio, nec gaudium, neque ſapor! niſi in te, in tuis Vulneribus, niſi in dulciſſimo tuo corde. Tua dulcedo, tua ſuavitas, tuus amor, ita abſorbeant corda noſtra, ut ſibi mortua, tibi ſoli vivant. In corde Chriſti cupio ſepeliri corda noſtra. In hoc ſuaviſſimo Corde nos abſcondemus, ut ibi te amemus, ut ibi oremus hoc fine, ut aliquando in illo exſpiremus, & deinde æternum mi JEſu! te amemus, Amen.

§. II. Amor IESV Crucifixi, cœleſtes habet annexas delicias

MENSE FEBRUARIO.

SOL EST IN PISCIBUS.

EXHORTATIO II.

IN MEMSTRUA CONGREGATIONE, AD SODALES CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ. 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendit quomodo & quantum Chriſtus crucifixus in ardentiſſimis tribulationum ac dolorum aquis tempore cruentæ paſſionis nos amaverit, deinde quoque oſtendet quomodo & quantùm hunc virum dolorum, Chriſtum JEſum redamare nos oporteat.

§. 1. *Alterum ſignum Zodiaci ſunt piſces.*

§. 2. *Quid Chriſto Crucifixo cum piſce.*

§. 3. *Chriſtus crucifixus dilexit nos intenſiſſime; Quis ita amet.*

§. 4. *Et viciſſim nos amemus usque ad finem.*

§. 5. *Et præter ipſum nil aliud.*

§. 6. *Fervens deſiderium amandi JEſum modo, quo poſſumus.*

§. 7. *Merces amoris hujus, ſolus JEſus & ejus amor.*

§. 8. *Cæleſtis hic piſcis ſtillat melle cæleſtis dulcedinis.*

§. 9. *Quæ ſola poteſt exſatiare appetitum amoris.*

Hoc

Digitized by Google

HOc menſe ex Aquario; à torrentibus voluptatis, de ſiderium amoris & gaudij, ſive ex amore dulci & forti, dictio mea cum ſole ingreditur ſignum Piſcium; alterum ſignum, in ſanguineo & igneo Zodico Amoris JEſu Crucifixi. Cœleſtis in illo Aquarius, ſive Vir dolorum in Cruce amavit nos ſuaviter & fortiter: Suaviter & fortiter eundem redamavimus in menſe Januario. In Februario, quem ingreſſi ſumus, Cœleſtis Piſcis nos iterum duo docebit. Quomodo & quantùm nos amarit Chriſtus Crucifixus; quomodo & quantùm nos illum redamare debeamus. *§. 1. Alterum ſignum Zodiaci, ſunt Piſces.*

Sed, quid piſci, cum Chriſto Crucifixo? ſatisfaciam breviſſimè propoſitæ quæſtioni, ex ſacris literis. Lucæ 24. cap. dum Chriſtus D. die glorioſæ ſuæ Reſurrectionis, diſcipulis & Apoſtolis in cœnaculo congregatis, oſtendit manus & pedes, mirantibus præ gaudio, dixit v. 41. *Habetis hic aliquid quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis.* Joannis 21. v. 9. cum diſcipuli ex mari littori appuliſſent, viſo Salvatore, quem tamen necdum nôverant, cùm primum deſcenderunt in terram, *Viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem.* Verùm quia in his meis exhortationibus non ſuſtineo perſonam Interpretis, hoc ſolùm moneo cùm Venerabili Beda, *Piſcis ille aſſus ipſummet Dominum ſignificavit, qui in aquis tribulationis natus & educatus, quaſi aſſatus eſt tempore Paſſionis.* Et cùm S. Auguſtino tr. 123. *Piſcis aſſus, Chriſtus eſt paſſus*; multò magis pendens in Cruce. Hic piſcis, in Cruce poſitus ſuper prunas ardentiſſimi amoris, eſt alterum ſignum in Zodiaco amoris JEſu Crucifixi. *§. 2. Quid Chriſto Crucifixo cum Piſce.*

Quæ prunæ ſignificant, illum erga nos amorem, fuiſſe intenſiſſimum & ferventiſſimum. Intenſiſſimè & ferventiſſimè operatur aliqua potentia, cum operatur, *ſecundum ultimum, & ſummum quod poteſt.* Ita amor Chriſti in Cruce fuit operatus, diligendo ſuos in finem, id eſt, uſque ad ſummum, ſecundum ultimum quod potuit. Ex infinito amore in Cruce paſſus eſt, quantum potuit. Imò, ſanctiſſima Humanitas illas ſpinas in capite, illos clavos in manibus & pedibus, &c. anguſtias interiores SS. animæ, *§. 3. Chriſtus Crucifixus dilexit nos intenſiſſimè! Quis ita amat?*

 tam

Digitized by Google

tam diu, per integrum trihorium, perferre non potuiſſet, niſi à Divinitate fuiſſet cumprimis confortata, & corroborata. Admiſit verò illam confortationem, ut non tantùm multum, & ſummum, ſed utrumque diu pateretur. Imò tam amavit intensè & ferventer, ut ſi Cœleſti Patri placuiſſet, ferventiſſimus ejus Amor paratus fuerit, pendere in Cruce, uſque ad diem judicij. Vel mori in cruce millies pro quovis electo; vel certè, terve, quaterve. O cœleſtem piſcem poſitum ſuper ardentes prunas. In hoc verò illius amor fuit ferventiſſimus, quod poſt gloriam ſui Patris, in totâ vitâ, in omnibus laboribus, in paſſione, in trihorio crucis, nihil amaverit ardentius, quàm nos & noſtram ſalutem. Omnis Chriſti cogitatio, doctrina omnis, omnis ejus paſſio & dolor, nil aliud, quàm animas noſtras ſpectavit, & quæſivit. Hoc nimirum eſt amare ferventer.

§. 4. *Vt viciſſim nos amemus uſque in finem.*

O mi JEſu Crucifixe! permitte, ut vel verbulo te compellem in triſtiſſimâ tuâ agoniâ; permitte, ut uno alterove affectu, extremum tibi Vale denuntiem. Sic & nos cupimus te amare. Secundum ultimum, id eſt, uſque in finem, uſque ad ultimum halitum vitæ noſtræ; & ſecundum ſummum quod poſſumus; & quantum Divina tua gratia (ſine quâ nihil omnino poſſumus) nos confortabit.

§. 5. *Et præter ipſum nil aliud.*

Mi JEſu ſic & nos cupimus orare, ut præter te, & ſupra te nihil amemus aliud. Audi loquelam cordis mei, quod amare te deſiderat, ſecundum ſummum quod poteſt. Omnes noſtræ cogitationes, omnia noſtra deſideria, omnes affectus, orationes, obſecrationes, obteſtationes ad te unum, & tua SS. Vulnera anhelanti aliud non cogitant, aliud non deſiderant, aliud non æſtimant, quàm amare te; & amando te, tibi uniri; in fide, ſpe & charitate; ut ſic tibi uniti, ſic amando, tibi placeamus; ſemper, ſed præſertim in ſupremo agone, & ultimo momento vitæ noſtræ; à quo pendet, ut te amemus æternum.

§. 6. *Fervens deſiderium, amandi IESVM.*

Sine mi JEſu, ut nonnihil ſim facundior; indulge affectui, cui verba deeſſe non poſſunt. Amaſti nos in Cruce ferventiſſimè; ut & nos ſic te amemus; deſideramus te amare omni modo, quo poſſumus; devotione, quâ poſſumus, volumus orare Roſarium

tuorum

Digitized by Google

tuorum quinque SS. Vulnerum; &c. Si conditio veri amantis eſt, amare unum tantùm, & contemnere omnia pro eo; ſi fervens amor tendit in unum, quieſcit in uno, ſibi complacet in uno, operatur propter unum; ſic te cupimus amare mi JEſu Crucifixe; te unum tantùm! propter te contemnimus omnia, propter te aurum æſtimamus ſtercus, gemmas vitrum, &c. propter ſe ſordet nobis tellus. In te unum tendunt omnes potentiæ noſtræ, in animâ & corpore. Nullibi quieſcere cupimus, niſi in tuis SS. Vulneribus, & dulciſſimo tuo corde; etiam inter prunas. *Nam* (S. Auguſt.) *anima amans ſuis renuntiat affectibus, ut tota ſoli incumbat amori*; hoc propter te facimus; propter te unum, quidquid faciendum ſuſcipimus, pertractamus. Propter te, in hoc tuo cœtu convenimus: propter te proſternimur in genua, propter te SS. Vulnerum corollam conteximus; propter te pios in Crucifixi imaginem oculos conijcimus; propter te, piis laxamus habenas ſuſpiriis; verbo, propter te mi JEſu, & propter te ſolum atque unicum, & vivere volumus, & mori non recuſamus. *modo quo poſſumus.*

Præterea; qui Chriſtum Crucifixum ferventer amant, aliud non aſpiciunt præmium, nec aliam ſperant mercedem, quàm DEum. Certè fervens fuit diſcipulus in ſchola amoris; qui dixit, *Amo amorem! amo, amare! & amari.* Scilicet DEum! & à DEO meo! à Crucifixo meo Amore. Docti diſcipuli in hâc ſcholâ, benedicti cordis JEſu, aliud non volunt, quàm purum amorem; divinum amorem; id eſt, amorem ſine mercede; vel non aliam, niſi quæ eſt DEus, & JEſus Crucifixus. Ah mi JESU! unice, pure, & ſancte amor animæ meæ! tibi vivo, tibi cupio mori ſanctè. Sanctam mortem petendo, orando, obteſtando, te ſolùm intendimus. Sodales amantiſſimi! ſic amate Crucifixum, quantum poteſtis, ſecundum ſummum & ultimum. Ita in illo eritis beati; eritis infinito circumfuſi gaudio in Deo, & in Vulneribus JESU Crucifixi. §. 7. *Merces amoris hujus, ſolus JESVS, & ejus amor.*

Cœleſte hoc ſignum, piſcis aſſus ſupra prunas, JEſus Crucifixus; non igneum tantùm & calidum eſt, ſed etiam melleum. Cum aſſato piſce Apoſtoli obtulerunt Chriſto D. favum mellis; ut hic dulcedinem reſurrectionis adumbraret. Nam, quos ignis §. 8. *Cœleſtis hic piſcis ſtillat mella cœleſtis dulcedinis.*

 tribula-

tribulationis, veluti piſces, aſſat; illos favus mellis, id eſt, divina dulcedo reficit. Aſſari non recuſet, quiſquis cupit mellis deguſtare dulcedinem. Ardens, & igneus piſcis in ſanguineo Zodiaco Amoris JEſu Crucifixi, ſtillat melle, ut ſciamus illum amorem eſſe ſuavem & dulcem; eoque ſuaviorem, quò eſt ferventior. Dulciſſimus eſt, cùm eſt ferventiſiſſimus. Amor hic eſt, qui ſatiat deſideria amantis animæ.

§. 9. *Quæ ſola poteſt exſatiare appetitum amoris.*

Audite rem miram, ſed veram. Date mihi cor humanum, abundans omnibus deliciis hujus mundi; & interrogate illud, ſatisne habeat, an non plus deſideret oblectationis terrenæ? dicet, Affer, Affer! Nulla voluptas hujus mundi exſatiare poteſt amoris appetitum. Facite poſtea, ut de cœleſti & dulciſſimo ſigno, ex melleis Vulneribus JEſu Crucifixi, unica ſolùm ſtilla defluat illius conſolationis, quâ Chriſtus D. ſe communicat, ſe amantibus, tum interrogate, an aliud deſideret, & dicet: Habeo ſatis! JEſus Crucifixus eſt in corde meo. Habeo ſatis. Quieſco in ejus Corde. Habeo ſatis! Amo Crucifixum! quid ultra poſſum deſiderare. Et tamen nominavi ſtillam, guttulam! quid fiet, cum fluminis impetus, & torrens voluptatis DEI inundabit animas noſtras? Eò anhelamus; ideo amamus; ideo recitabimus Roſarium SS. Vulnerum.

MENSE

MENSE MARTIO.

SOL EST IN ARIETE.

EXHORTATIO III.

AD SODALES CONGREGATIONIS JESU IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ARies hærens inter vepres, quem Abraham loco filij Iſaaci DEO in holocauſtum obtulit, ſignificat Chriſtum, qui ſemetipſum ex nimio in nos amore cœleſti ſuo patri ut gratum ac perfectiſſimum holocauſtum, in ara crucis pro ſalute noſtra obtulit, hinc æquum ut ferventiſſime eum iterum amemus.

§. 1. *Tertium ſignum Zodiaci, Aries.*

§. 2. *Figura fuit aries, immolatus pro Iſaaco.*

§. 3. *Amor Crucifixi fuit liberaliſſimus.*

§. 4. *Deſiderium ingentis gratitudinis, ſive affectus gratiarum actionis.*

§. 5. *In ſignum grati animi reddamus nos totos JESU crucifixo.*

§. 6. *Vt ſicut totus voluit eſſe noſter, hic nos toti ſimus ipſius.*

§. 7. *Vellus Gedeonis fuit plenum rore, ideo amor JESU eſt dulciſſimus.*

Hoc

Digitized by Google

§. 1. *Tertium ſignum Zodiaci, Aries,*

HOc menſe Martio, ex ſigno piſcis, à prunis ferventiſſimæ charitatis, cùm ſole hæc mea exhortatio ingreditur ſignū Arietis; in ſanguineo & igneo Zodiaco amoris JEſu Crucifixi. Priori menſe cœleſtis piſcis, aſſus ſuper prunas amoris, in arâ crucis, volo dicere; Chriſtus Salvator noſter, in cruce ferventiſſimè, & intenſiſſimè nos amavit; talem viciſſim amorem illi tum exhibere ſumus conati. Ita mi JEſu! etiamnum, in hanc horam, hoc momento fervet in cordibus noſtris ille æſtus amoris, amamus enim te, quantum poſſumus, & ſic amabimus porro. Hoc menſe Martio Cœleſtis Aries, nobis erit tertium ſignum illius amoris, quo nos Chriſtus in Cruce complexus eſt; ut parem illi ſtudeamus affectum conſecrare.

§. 2. *Figura fuit Aries, immolatus pro Iſaaco.*

Exhortationis hujus fundamentum, ſive comparationem inter Arietem & Chriſtum Crucifixum, iterum ſumo ex S. literis. Geneſis 22. v. 13. cùm Angelus liberaſſet Iſaacum, vidit Abraham inter vepres hærentem cornibus arietem; quem loco Iſaaci Deo in victimam & holocauſtum immolavit. De quo S. Ambroſius ait; *Aries hic hærens & ſuſpenſus inter vepres, ſignificat Chriſtum in Cruce ſuſpenſum, pendentem & clavis affixum. Virgultum illud fuit patibulum Crucis.* Vel ut S. Athanaſius inquit, *Veneranda Crux, in qua Chriſtus D. volens, lubens pro genere humano fuit immolatus.* Facile advertitis, hunc Arietem meritò annumerari duodecim ſignis, in igneo & ſanguineo Zodiaco Amoris JEſu Crucifixi, ſive Chriſtum D. in Cruce pendentem, & hærentem inter ſpinas eſſe cœleſtem Arietem, qui tanto amore nos fuit proſecutus, ut ex amore infinito, ſe totum pro nobis in arâ Crucis immolarit. Igneus & ſanguineus Aries, coronatus ſpinis, voluit eſſe perfectiſſimum holocauſtum, ut oſtenderet, quantùm nos amaret: Amore ſcilicet, liberaliſſimo. amore effuſiſſimo! amore tali, quo ſe totum pro nobis obtulit, & immolavit.

§. 3. *Amor Crucifixi fuit liberaliſſimus.*

Et quis animo comprehendere poterit liberalitatem hujus amoris? Dum enim corpus & ſanguinem ſuum, unà cum ſanctiſſimis Vulneribus, noſtræ ſaluti transſcripſit; dum nobis ſuam etiam animam, cum ſuâ divinâ gratiâ, cum virtutibus, meritiſque infinitis in ſatisfactionem pro peccatis noſtris, donavit; dum ipſam addidit

didit Divinitatem; quid ultra dare vel donare potuit? quid ſupereſt, quod largitus non ſit? ut ipſe dixerit Joannis cap. 17. v. 11. *Pater ſancte! claritatem*, (id eſt Divinitatem) *quam dediſti mihi, dedi eis.* Affectuoſiſſimum caput ſive titulum, de hâc liberali oblatione Chriſti in cruce pro nobis, habet piiſſimus Thomas de Kempis l. 4. c. 8. ubi loquentem de cruce amorem ita inducit. *Ego me ipſum expanſis in cruce manibus & nudo corpore, pro peccatis tuis Deo Patri ſponte obtuli; ita ut nihil in me remaneret, quin totum in ſacrificium divinæ placationis tranſiret. Ecce ego me totum obtuli Patri pro te! dedi etiam totum corpus meum & ſanguinem in cibum, ut totus tuus eſſem.* Et quia Chriſtus D. eodem capite exigit à nobis, ut ita & nos voluntariè, in oblationem puram & ſanctam, cum omnibus viribus & affectibus divino conſecremus obſequio; idem Thomas de Kempis capite ſequenti, piiſſimis deſideriis abreptus Chriſto Crucifixo ſe offert in ſervum ſempiternum, in obſequium & ſacrificium laudis perpetuæ; cum omnibus peccatis, ut illa in altari crucis accendantur, & comburantur igne charitatis Crucifixi; cum omnibus operibus bonis, ut perficiantur; verbo, offert ſe totum vir ſanctus ut amori liberaliſſimo in cruce, liberalem rependat amorem.

§. 4. *Deſiderium ingentis gratitudinis, ſive affectus gratiarum actionis.*

O liberaliſſime amator animarum noſtrarum! & quid tibi, nos tui ſodales in hâc ſanctâ congregatione, quid retribuemus? quo pacto grati erimus, pro omnibus, quæ retribuiſti nobis? pro omnibus, quæ in cruce paſſus es pro nobis? pro omnibus tuis lachrymis? pro omnibus vulneribus, pro omnibus guttis tui pretioſiſſimi ſanguinis? pro omnibus amoroſis ſuſpiriis, trihorio crucis pro nobis Patri cœleſti oblatis? quid retribuemus pro ſpinis? pro clavis? O ſancti Angeli noſtri cuſtodes, agite crucifixo DEO gratias pro nobis, laudando tantam ejus liberalitatem, & exaltando eam in ſæcula. O Virgo, Mater doloroſa, tu crucifixo Filio tuo pro nobis gratias age, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Gratias age tu pro nobis ſanctiſſima & beatiſſima Chriſti humanitas, quia per te & tua merita tanta nobis Deus largitus eſt bona.

Digitized by Google

Exulta verò, & jubila anima mea, in benedictionibus dulcedinis! jubila cor meum in memoria tantorum beneficiorum, quæ tibi exhibuit JEſus Crucifixus! redde te benefactori tuo totum; præſertim hâc horâ ſub oratione Roſarij quinque SS. Vulnerum, pro obtinendâ felici morte. Eja Sodales amantiſſimi; reddite JEſu Crucifixo veſtrum intellectum in cognitionem infinitæ bonitatis; reddite illi memoriam, in continuam Agoniæ Chriſti in cruce, & amariſſimæ ejus mortis, recordationem: reddite illi linguas veſtras in continuis laudibus; reddite illi veſtros oculos, quibus affectuosè illum in Venerabili Sacramento, vel in Cruce illum intueamini; reddite illi manus, quibus rea tundatis pectora, atque ad tenerrimam contritionem vos excitetis.

§. 6. *Vt ſicuti totus voluit eſſe noſter, ſic nos toti ſimus ipſius*

JEſus Crucifixus! cœleſtis, igneus & ſanguineus Aries, totus eſt noſter! mi JEſu, nos toti volumus eſſe tui! Tu te totum donaſti nobis! nos tibi totos donamus! Tota anima noſtra, cum omnibus facultatibus ſuis, totus intellectus, tota memoria, tota voluntas, totum corpus, omnes ſenſus, totum cor noſtrum eſt JEſu Crucifixi! Flumen ſi quando in mare ſe ſe exonerat, totum ſic abſorbetur in illo, ut non maneat amplius flumen, ſed ipſum eſſe mare videatur. O Utinam amor noſter, ſic confluat in illud mare liberaliſſimi amoris noſtri; in illud mare miſericordiæ! in illas abyſſos SS. Vulnerum; præcipue in dulciſſimum Cor JEſu! O Utinam! ibi amor noſter totus abſorbeatur; ut non amplius ſit amor humanus, ſed divinus; ſed amor totus transformatus in amorem JEſu Crucifixi! Hoc cogitemus ſodales; nihil eſſe in hoc mundo, quam DEum, JEſum & Mariam, & hæc ſint objecta noſtri amoris; Eja anima mea! quid aliud quæris, vel cogitas, quàm hæc duo nomina longè dulciſſima. Dulce nomen Virginis; dulcius tamen nomen illius, qui filius fuit hujus Virginis. Dulcis MARIA! ſed JESUS, isque Crucifixus longè dulciſſimus! Sol eſt in ariete; amor noſter triumphat in victimis. O præclarum arietem! O victimam amoris cœleſtem. Agite amantiſſimi Sodales, hunc unà mecum victimam immolate; immolabitis, ſi quàm poteſtis ferventiſſimè ametis JEſum Crucifixum: immolabitis, ſi quina ejus Vulnera devoto cordium affectu conſalutetis: immolabitis ſi morientis

in

Digitized by Google

in Cruce JEſu amorem, mutuo veſtræ pietatis affectu compenſare ſtudeatis.

§. 7.

Vellus Gedeonis fuit plenum rore ideo amor JESV eſt dulciſſimus.

Nemo terreatur à ſpinis, inter quas hæret Cœleſtis Aries. Nemo terreatur à ſpineâ coronâ Chriſti Crucifixi. Significant illæ moleſtias, abnegationes, mortificationes, quas tam liberalis amor, quâdam velut neceſſitate ſecum perducit: ideo amor noſter cum amore Chriſti debet crucifigi. Sed iterum vellus arietis nos monet, amorem inter ſpinas eſſe quid dulciſſimum. Vellus arietis, quod Judicum cap. 6. v. 38. Gedeon poſuit in aridâ terrâ, mane repertum fuit plenum dulciſſimo rore. Tale vellus eſt SS. Humanitas Chriſti in Cruce; vellus plenum ſanguine, & ſimul amantibus plenum rore ſummæ dulcedinis, & conſolationum cœleſtium. Dulcius enim nihil eſt, quàm amare JEſum Crucifixum.

§. 8.

Cur Sponſa Sponſum vocaverit, faſciculum myrrhæ, & botrum Cypri.

Inter alios titulos quibus Sponſa ſuum proſequitur Sponſum, ille eſt, quo illum nominat Cant. 1. v. 12. *faſciculum myrrhæ*, & ſimul *botrum Cypri*. Sed quomodo convenit amaritudo myrrhæ cum dulcedine ſuavis uvæ? ecce myſterium! in Ariete inter vepres, in Cruce Chriſti. Eadem paſſio conſiderata ab eo, qui amat, myrrha ſimul eſt uva; amara ſimul & dulcis; amara corpori; dulcis animæ; amara ſenſui, dulcis Spiritui. *O paſſio deſiderabilis! O mors admirabilis*, exclamat S. Bonav. *quid mirabilius, quàm quod mors vivificet? vulnera ſanent? Sanguis album reddat? & nimius dolor nimium dulcorem inducat*; Ut quantum creſcit noſter amor erga Crucifixum; quoque eſt liberalior, in tantum creſcat dulcedo. O dulcem amorem, quo omnis amaritudo vertitur in dulcedinem. O myſterium cœleſtis hujus velleris, de quo ex felle deſtillatur mel. O JEſu Crucifixe, O dulcis Amor! ſi tuæ amaritudines in hoc mundo tam ſunt dulces, quid in cœlis erunt tuæ ſuavitates? ſi ita delectant ſpinæ, quomodo non roſæ afficiant? Si ita placet horror, quomodo placebit amor Salve divine Aries! video, eſt tibi acutis innexum vepribus caput! video fuit tibi penetrandum per teſqua, & ſaltus, per ſpinas & vepres! ſed memini illius mellei, quod melleus Pater protulit dicti; *Quantò pro me vilior es JEſu, tantò mihi carior.* Sic eſt mi JEſu!

Digitized by Google

quantò pendes in Cruce miſerabilior, quantò pauperior; tantò mihi carior, & dulcior es JEſu! Salve iterum divine Aries, in Zodiaco amoris! ſalve! Vos quoque nunc Sodales, ſalutationem veſtram, recitando quinque SS. Vulnerum corollam, depromite.

MENSE APRILI.

SOL EST IN TAURO.

EXHORTATIO IV.

IN MENSTRUA CONGREGATIONE, AD SODALES CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ. 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendit Chriſtianum eſſe, & maxime ſodales Chriſti in cruce agozantis oportere, tribulationes, moleſtias, omniaq; gravia pro amore Sponſi ſui, Chriſti JEſu forti magnoque animo tolerare: Quemadmodum & ipſe omnia gravia, omnia dura, omnia aſpera præ amoris in nos magnitudine ſuavia ac dulcia reputavit, hinc non flagella, non verbera, non ſpineam coronam, non crucem, non mortem denique ipſam horruit ac timuit, hinc dignus noſtro iterum amore.

§. 1. *Quartum ſignum Zodiaci, taurus.*

§. 2. *Parellela inter taurum & Chriſtum Crucifixum.*

§. 3. *Amoris maxima eſt pati aut mori pro re amata. Ita nos amavit Chriſtus D. ita debemus nos amare.*

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. *Hinc ſolatium, gaudium & quies.*
§. 5. *Amor operatur magna & multa.*
§. 6. *Talis amor eſt melleus.*
§. 7. *Affectus gaudij & quietis in amore JEſu.*

PEr tres menſes præteritos, ex ſignis cœleſtis Zodiaci advertimus charitatem illam perpetuam & æternam, quâ nos amavit Chriſtus Crucifixus, fuiſſe fortiſſimam, ferventiſſimam, liberaliſſimam, & ſemper ſimul dulciſſimam. Fortiter, ferventer, liberaliter Chriſtus in Cruce, & ſuaviter nos amavit. Nos quoque aliquâ ſaltem fortitudine, aliquo fervore, aliquâ liberalitate, & quidem non ſine præcipuo cordis ſolatio, illum viciſſim amare conati ſumus. Quocirca ut pergam in hâc materiâ, hoc menſe Aprili, ex ſigno Arietis à candidiſſimo illo vellere, pleno rore cœleſti, meus præſens ſermo cum ſole ingreditur ſignum Tauri, in igneo & ſanguineo Zodiacô amoris JEſu Crucifixi. Hic taurus quartum erit ſignum, ex quo colligemus, quo amore Chriſtus in Cruce nos fuerit proſecutus; à quo diſcemus, quomodo eundem debeamus redamare; ut eò facilius & certius, per orationem Roſarij quinque SS. Vulnerum obtineamus felicem mortem. §. 1. *Quartum ſignum Zodia. i. Taurus.*

In elegânti emblemate depictum eſt in agro aratrum cum ſuo jugo; ex altero latere ſtat ara, in qua accenſus ignis exſpectat victimam; in medio, inter aratrum & aram cernitur formoſus bos, cùm hoc lemmate, *In utrumque paratus*; nimirùm, ut vel alliger jugo, atque labori, vel ut victima cadam. Et quo ſymbolo elegantius oculis veſtris proponere poſſum, amorem Chriſti Salvatoris noſtri, qui poſtquam à juventute ſuâ per annos triginta tres fuit in laboribus & doloribus, tandem ad mortem in arâ Crucis, promptiſſimâ voluntate, ſe ſe obtulit cœleſti Patri in ſacrificium pro genere humano. Ea eſt natura perfecti amoris vel amantis, pro re amatâ pati fortia, & ipſam etiam, ſi ſic opus eſt, mortem. Amor eſt patiens. §. 2. *Parallela, inter Taurum, & Chriſtum Crucifixũ.*

Amanti (ait nonnemo) *ſic ſtatutum eſt, omnia pati, ut ſit cum amato, etiam mortem.* In Schola Amoris & Crucis, una Maxima ſic habet; *Aut pati, aut mori.* Tam diu Chriſtus pro nobis la- §. 3. *Amoris Maxima eſt, pati aut*

 botare

mori, pro re amatâ. Ita nos amavit Chriſtus D. Ita debemus amare.

borare & pati voluit; donec conceſſum quoque illi eſt, mori: donec datum illi fuit, pro nobis pendere, pati & mori in cruce, neutiquam acquievit. Morti proximus, dixit, *Conſummata ſunt omnia*, & ſpiritum ſuum reddidit in manus Patris. Dulcis illi fuit paſſio, quia fuit via ad mortem pro ſuâ ſponsâ. Dulcis illi fuit labor, dulcis dolor, quia amavit Rachelem. *Hic eſt modus amantium, velle pro invicem mori*, (ait S. Auguſtinus l. 4. conf. c. 6.) *vel pati*. Hoc ſignum amoris dedit Chriſtus D. cùm dixit Judæ, *Quod facis, fac citius*. q. d. Juda, quod cogitas, quod moliris, illud & ego deſidero, illud quæro, illud volo. Vis me vendere Judæis? volo vendi, ſed citò. Vis me tradere? volo; & citò. Vis me crucifigi? volo, ſed citò. Hoc quæro, hoc amo. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha; & hunc diem, quo pro homine, quem amo, affigar cruci. Sic Chriſtus D. nos amavit; ex amore multa dura & ardua, & aſpera pro nobis paſſus eſt. Diſcite mei Sod. ab ipſo, quomodo redamare debeamus. Hoc diſcamus in ſchola amoris, pro Crucifixo multa pati. Placetnè illi & nos affigi cruci? ſi amamus, placebit & nobis. Placet illi, nos ſpinis compungi? ſi amamus, placebit & nobis. Placet illi, guſtare nos fel & acetum? ſi amamus, placebit & nobis. In utrumque ſimus parati; ad labores, ad dolores, ad morbos, ad pauperiem, &c. & cùm illi placitum fuerit, ad mortem; quamcunque, quocunque loco, quocunque tempore. Enimverò hoc certiſſimum eſt noſtri erga illum amoris, & mutuæ dilectionis argumentum.

§. 4. Hinc ſolatium, gaudium & quies

Qui vult laborare ſine labore: qui vult pati cum ſolatio, qui crucem cum Chriſto vult portare ſine fatigatione; qui in cruce vult lætari; amet Chriſtum crucifixum, quiſquis verè amat, admirandos experitur amoris affectus. De S. Ignatio Lojola perhibetur, quod in omni moleſtiâ, ærumnâ & perſecutione (habuit autem frequentiſſimas) in unâ Dei recordatione, & quaſi amplexu, cum ſummâ delectatione conquieverit. Quamprimum enim in oratione ad Deum ſuum & Salvatorem ſuum confugit, & velut infans in gremium matris, & brachia patris facto velut impetu ſe conjecit, eximiam in animâ ſuâ ſentire pacem, & cum pace gaudium & cœleſtem conſolationem deguſtare cœpit. Ita mi JEſu crucifixe! timemus rem omnium terribiliſſimam; Mortem! O quæ tempeſtas? quis horror?

Digitized by Google

ror? qui demum nos obruent fluctus, in agone illo terribili, in illâ luctâ & ingreſſu in æternitatem; præterquam quod interim nos complures aliæ tribulationes non parum infeſtant. Sed ideo, ecce mi Jeſu! mei Sodales per ferventem orationem ad te confugiunt; ideo in tuum gremium, in tua brachia, in dulciſſimum ſinum tuum, in ſanctiſſima tua vulnera, in dulce tuum latus, veluti infantes, uno impetu nos conjicimus: tui amoris, tuæ paſſionis, tuæ agoniæ, tuæ mortis, tuæ crucis, tui pretioſi ſanguinis recordamur: ut in illo agone ſentiamus pacem, cum pace gaudium, cum gaudio conſolationem cœleſtem. Interim in patientiâ, & libenter pro te pati, decretum eſt. Mei Sodales! hoc eſt amare Crucifixum; prout ipſe nos amavit.

§. 5. *Amor operatur magna & multa.*

Verus amor indefeſsè laborat; & nunquam eſt otioſus. *Operatur magna, ſi eſt; ſi operari renuit, amor non eſt*: ait S. Gregorius: imò ultra progreditur; *Operatur magna, & reputat parva.* Crucem, lanceam, columnam, clavos, ſpinas, &c. Amor crucifixus, ſive cœleſtis ſponſus vocavit faſciculum myrrhæ, & guttas noctium. Operatur quoque non magna tantum, ſed multa, & reputat pauca. Operatur diu, & reputat brevia. Triginta tres anni fuerunt ipſi viſi dies pauci, præ amoris magnitudine. Totam Paſſionem vocavit calicem. Ecce ſigna immenſi erga nos amoris in Chriſto crucifixo. Sic nos amavit: Illos itaque ego arbitror veros Sodales Chriſti in cruce agonizantis; illos æſtimo amatores & imitatores JEſu crucifixi, qui illius honori & amori, & magna & multa operantur; Magna, eximia & varia ſtatuta præſcribunt leges hujus congregationis, v. g. menſtruam confeſſionem & communionem; quotidianam auditionem Miſſæ; peculiarem devotionem erga ſanctiſſima Vulnera; frequentem orationem, dilectionem inimicorum, opera miſericordiæ corporalis & ſpiritualis, &c. qui in operum horum exercitio ſunt indefeſſi, frequentes, eximii & perfecti; & in multâ patientiâ, parati ſemper, veluti tauri ad jugum crucis, & mandatorum Dei, næ ego illos dixerim amatores & imitatores Crucifixi. Econtra qui parum laborant, & patiuntur parvum, & horrent crucem; parum quoque diligunt. Qui laborant & patiuntur multum, multum amant. Infallibilis eſt hæc in ſchola amoris & crucis regula.

Sed

Digitized by Google

§. 6. *Talis amor, eſt melleus.*

Sed iterum moneo, ne aliquem terreat aratrum vel jugum, neminem terreat ara, vel ignis tribulationis, vel mors. Amanti etiam jugum ſuave eſt, onus leve, mors ipſa prædulcis; imò in votis & deſiderio, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, ajebat amans anima. Ubi amor eſt, labor non eſt, inquit S. Bernardus; melleo verſu decantat Virgilius, quomodo in pelle tauri, procreentur apes, cum dulciſſimo melle; Veriſſimum hoc eſt in myſterio Crucis. Labor, Paſſio, & Amor Crucifixi, eſt totus mellifluus. Quod ſi forte quis ex me percontetur, quid ſit hic amor? reſpondebo cùm S. Bernardo, *Mel, melos, & jubilus*. Mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Mel in ore dulciſſimum guſtant illi ſodales, qui devotè orant Roſarium SS. Vulnerum; melos in aure ſuaviſſimum audiunt illi, qui cum devotione attendunt piis cantionibus de Chriſti paſſione, præſertim de ſupremis ſeptem verbis, à Chriſto in Cruce prolatis. Jubilus in corde dulciſſimus, eſt amor Crucifixi. Senſit id Sponſa cùm dixit, *Ubera tua meliora vino*; vel ut alij legunt, *amores* tui, id eſt, ſuavitas amoris Crucifixi, cum infinito exceſſu ſuperat omnem conſolationem amoris terreni; quia, ut S. Thomas docet, conſolatio divina, eſt univerſalior, cùm afficiat totum hominem. Intimior, quia penetrat intima cordis, & durabilior, quia non finietur; ſed durat in vita, permanet in morte, & permanebit in æternum.

§. 7. *Affectus gaudij, & quietis, in amore JEſu.*

Sentio mi JEſu Crucifixe! verè amores tui ſunt dulciſſimi. Cogito, & dico; *Amo amorem meum Crucifixum*; & lingua mea fluit melle. Cano vel audio; *Amo amorem meum*; *Amor meus, JESUS eſt!* & in auribus reſonat dulciſſima melodia. Cogito, & loquor in corde meo; *Amo JEſum*! præ gaudio, præ jubilo non ſcio, non video, non audio, non aliud denique ſentio, quàm JEſum meum; & hunc Crucifixum! Bene habet; acquieſco totus! Vale muſica terrena, valete ſuaves aurium blanditiæ, valete cantatores & cantatrices. Tu mihi dulce melos, mi JEſu! Cur tu? & non alius? quia amo amorem meum! Eja anima mea, exulta, tripudia; cùm JEſum habes Crucifixum, habes, quidquid blandum, jucundum, amabile! Cùm JESUM habes Crucifixum, habes, quidquid paſcit oculos, titillat aures, cor recreat. Cùm JEſum habes Crucifixum, habes pulcherrimum, quod vel in cœlis, vel in terris eſt,

amoris

Digitized by Google

amoris objectum. Toti incumbamus huic amori, & acquieſcamus. In hoc amore, in hâc quiete recitemus Roſarium SS. Vulnerum.

MENSE MAJO.

SOL EST IN GEMINIS.

EXHORTATIO V.

AD SODALES CONGREGATIONIS JESU IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ 31. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

CHriſtus Salvator noſter omnia dura patienti pertulit animo, ut nos indiſſolubili amoris vinculo nobiſmetipſis & ſibi uniret, ut pulchrè in quinto hoc ſigno Zodiaci, nempe in Geminis oſtenditur: ideo decens eſt, ut nulla paupertas, nulla moleſtia, nullus labor, nulla perſecutio, nec ipſa denique mors nos ſeparet à charitate DEI & proximi.

§. 1. *Signum quintum Zodiaci, gemini.*

§. 2. *Sunt Symbolum unionis, inter amantem & amatum, quam amor intendit.*

§. 3. *Quam Chriſtus D. variis ſignis nobis inſinuavit.*

§. 4. *Amans anima variis ſuſpiriis anhelat uniri Chriſto.*

§. 5. *Admirabile vinculum, quo S. Brigitta colligata fuit Chriſto Domino.*

§. 6. *Cor amantis, eſt in corde Jeſu.*

§. 7. *Suavis affectus amoris.*

Digitized by Google

§. 1. *Signũ quintum Zodiaci. Gemini.*

LÆtiſſimò hoc menſe Majo, ex ſigno Tauri, cum ſole meus amor exſpatiatur, ad ſuaves & dulces Geminos, in igneo, & ſanguineo Zodiaco Amoris JESU Crucifixi, contentos. Et hoc amabile, atque beneficum ſignum, tenerrimum Chriſti in Cruce erga nos declarabit amorem, & ſimul in Scholâ amoris nos edocebit, quàm tenero amore Chriſtum Crucifixum amplecti debeamus.

§. 2. *Sunt Symbolum Vnionis, inter Amantem, & Amatum; quam amor intendit.*

In cœleſti hoc ſigno, formoſæ & lucidæ ſtellulæ, vel potius colores & penicilli pictorum, depingunt duos formoſos puellos, qui caſto amplexu & oſculo ſe amplexantur, & brachiis per amabilem nexum ſe ſe mutuò conſtringunt. Inſinuat hæc figura amorem, intendere intimam unionem, cùm re amatâ. Diverſos & varios invenio modos loquendi in gymnaſio Amoris JESU Crucifixi. Proprius ejus effectus eſt, ut amatos ſibi uniat. Quod fit. I. per infuſionem gratiæ, quæ eſt excellentiſſima illa qualitas, quâ tanquam filij DEI cum illo unimur. Quæ gratia eſt fructus mortis Chriſti; non enim alio, quàm ſanguinis ſui pretio, tantum nobis donum comparavit. II. Fit hæc unio, per communicationem nobiliſſimarum virtutum, fidei, ſpei, & præcipue charitatis. III. per dationem Spiritus S. quem accipimus per gratiam. IV. per inhabitationem SS. Trinitatis in nobis, veluti vivis templis, ſecundum illud Chriſti D. *Et manſionem apud ipſum faciemus.* V. Divinus Amor invenit modum nos ſibi uniendi nobiliſſimum, in inſtitutione Euchariſtiæ, in quâ Corpus & Carnem ejus comedimus, & bibimus ejus ſanguinem, & ita admirabili modo cum Chriſto D. cum ſanctiſſimâ ejus Humanitate, ipſaque adeo Divinitate unimur; quod alias fusè declaro; hic tantùm monuiſſe ſufficiat, Salvatorem illo nos amore proſecutum, qui unionem cum re amatâ intendit.

§. 3. *quam Chriſtus D. variis ſignis nobis inſinuavit.*

Abulenſis ſic loquitur. *Amori proprium eſt, facere unum cum amato:* qui enim amat, amato identificatur. Quis unionem vel unitatem majorem deſiderare poterit, quam ſit illa, quam à Patre Cœleſti petiit Chriſtus Dominus, *Pater, volo, ut in nobis unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* Ut ſicut nos unum ſumus

per

per eandem naturam ita fideles mei, unum ſint mecum, per eandem voluntatem; ut habeant mecum idem velle, eundem amorem, idem gaudium. Pretioſiſſimus ille ſanguis, qui profluit ex SS. Vulneribus Crucifixi, ut amabile gluten, quo nos ſibi vult unire. Brachia in Cruce habet expanſa, ut inter dulces amplexus nos ſibi conjungat. Caput inclinat, ut in ſignum deſiderij atque unionis, dulcia libet oſcula. De ſiti in Cruce conqueritur; ſed illa, quâ ardebat, ſitis fuit unionis cùm Sponſa; à morte voluit ſibi lanceâ aperiri latus, & cor; ut illud ſubire poſſimus, & in ipſo Corde, veluti aureo amoris conclavi, nos illi magis, atque ut ſic dicam, intimius unire. Sic nos amavit in Cruce Salvator.

O quis ergo mihi det, ut hoc cor meum, per amorem uniatur cordi Crucifixi! an funibus opus, ut prius alliger columnæ? ut flagris cædat? fiat; in flagella paratus ſum. Eſtne opus catenis? ubi, ubinam illæ ſunt? ecce pedes, & brachia. Eſtne opus ſpinis & clavis, ut illis prius configar Cruci, in Cruce meo amore, & JESU meo? O dulcis clavis! O deſideratæ ſpinæ! configite me Cruci, unite me JESU meo! O nos beatos! Sodales amantiſſimi! Si per amorem ſimus uniti Crucifixo, fini noſtro, vitæ noſtræ, Capiti noſtro. Felices inquam nos, ſi Salvatorem in Cruce amemus! dum illum rapimus, rapimur: dum tenemus, tenemur, dum ſtringimus, ſtringimur; dum ligamus, ligamur; dum amamus, amamur. Utinam ſtringamur, ligemur, teneamur, uniamur tam fortiter, nexu adeo indiſſolubili, ut dicamus cum Doctore gentium, Rom. 8. v. 36. *Quis nos ſeparabit à caritate*, à brachiis, à ſinu, à gremio, à corde, à Cruce, à Vulneribus, ab uberibus Crucifixi. *An tribulatio?* non. *An anguſtia?* non. *An fames?* non. *An nuditas?* non. *An perſecutio?* non. *An paupertas?* non. *An mors?* non. Cùm diſſolvendum erit per mortem illud corpus inter & animam, vinculum; tum alterum perpetui cùm Chriſto amoris vinculum exoptabimus. Roſarium, quod jam jam recitabimus, in memoriam & honorem SS. Vulnerum Crucifixi; cupimus eſſe fortiſſimam catenã,

§. 4. Amans Anima, variis ſuſpiriis anhelat uniri Chriſto.

quam illi tam fortiter nos alliget, ut nulla nos mors ab illo ſeparari poſſit. O pretioſe ſanguis, ex pedibus Crucifixi defluens! O divine cruor ſtillans de SS. manibus! O roſeæ guttæ benedicti Cordis, eſtote gluten, & roſei funiculi, qui in horâ mortis nos uniant cum Salvatore noſtro. Ut deinde ſuaviori nexu illi uniamur æternum in gloria.

§. 5. Admirabile vinculum, quo S. Brigitta colligata fuit Chriſto D.

Sentio conſtringi cor meum novo vinculo, & catenâ, quæ tota videtur ardens & ignea. Si Gemini in cœleſti Zodiaco ardent, puto eſſe catenam, quâ illi colligantur; ſic ardet, ſic ûrit Amor! Sed adverto, qualis catena ſit; Fuit, cùm S. Brigittæ ſpectabilem ſe ſe exhiberet Salvator, & mandaret Dæmoni, qui etiam aderat, ut inſpiceret cor ejus, & referret fideliter, quantùm illa ſe amaret: paruit ille, & dixit. *Video vinculum ardens deſcendere à te in eam; quod ſic cor ejus obligat, ut nihil aliud cogitet, vel amet, niſi te. - ut nullâ tentatione illam à te ſeparare poſſim.* O mi JEſu Crucifixe! ecce me, & tuos ſodales; ah permitte, ut ex SS. Vulneribus ſanctiſſimorum pedum à te deſcendant in ſenſus noſtros, in oculos, in aures, &c. bina ardentia vincula, quæ ſic illos tecum ligent, ut nihil cupiamus videre, audire, guſtare, nihil perſentiſcere, niſi JEſum Crucifixum. O Amor, pro nobis Crucifixe; permitte ut ejusmodi ardentia vincula deſcendant ex Vulneribus manuum in animas noſtras, quæ memoriam, intellectum, voluntatem, omnes demum potentias, ita ligent, nodis igneis, atque indiſſolubilibus, ut dicamus, ſequemur te, quocunque ieris JESU, Amor dulciſſime! Cùm illa vincula ſint ardentiſſima, quæ deſcendunt ſuper nos, & in nos, ex ardentiſſimo tuo pectore & flagranti Corde; illis ita liga, ita ſtringe corda noſtra, ut nihil aliud cogitemus, vel amemus, niſi te. Ut non judicemus, nos aliud ſcire, nec aliud amare, niſi JESUM, & hunc Crucifixum.

§. 6. Cor amantis, eſt in Corde JEſu.

Nemini terrorem incutiant vincula iſta ardentia; & ſi inſuper opus eſt ſpinis, clavis, malleis, ut uniamur & affigamur cum Chriſto in Cruce; nemo timeat. Spinæ, clavi, mallei, ardentia vincula, accenſæ catenæ, redduntur cumprimis mollia, imò dulcia & ſuavia, ſi per amorem nos uniant

cum

Digitized by Google

cum Chriſto crucifixo; cujus amor erga nos, & noſter erga Illum, nunquam non ſuaviſſimus eſt, & dulciſſimus. Et hæc eſt illa Chriſti D. promiſſio D. Brigittæ facta, cùm diceret: *Prapone voluntatem meam tua; & tunc cor tuum erit in corde meo, & inflammabitur charitas tua. Requieſces in brachio Deitatis meæ; ubi nulla voluptas carnis, ſed gaudium, & delectatio ſpiritus. Dilige me ſolum, & omnia habebis, quæ voles, & abundabis.*

Sic mi Jeſu! ſic te amare decretum eſt; ſic vivere, ſic mori placet. Vivere, ſed in corde tuo! mori, ſed in corde tuo. O vita felix! O mors beata! Hi ſunt mei Gemini, quos tuis oppono. Vita amore plena, & mors amore plena: premant anguſtiæ mortis; non opprimení animam, quæ habitat in corde Jeſu. Conterreant inſidiæ dæmonum; non conterent, ſi mei, diviniſſimi tui amoris Gemini, blando oculorum ſidere, te contueantur. Diligam Jeſum! dilige me mi Jeſu! & omnia habebo, quæ volo. Tu mi Jeſu, habebis omnia, quæ poſſideo. §. 7. *Suavis affectus amoris.*

Abſcondamus nos in vulneribus Salvatoris; & ipſe abſcondet nos, *in abſcondito faciei ſuæ, à conturbatione hominum.* Pſ. 30. v. 21. Non ait in cœlo (ut advertit S. Aug.) non in paradiſo, non in ſinu Abrahæ; ſed loco longè jucundiori; valde tamen abſcondito, ut ibi gaudeamus, & quieſcamus, & lætemur, & jubilemus. Et quis nobis oſtendet illas latebras? Chriſtus D. ipſe oſtendit, & quidem moriens in cruce. Dicunt enim SS. Patres, ideo expiraſſe inclinato capite, & inclinatâ in pectus facie, ut nobis oſtenderet locum illum abſconditum, omnis ſacrarium ſolatii, ſcilicet latebras vulnerati cordis. O vos felices, ſodales amantiſſimi! orate ferventer roſarium SS. vulnerum, ut ſit ardens vinculum, quod ex ore & corde noſtro aſcendat usque ad benedictum cor Jeſu! ut inde rurſum deſcendat in nos, & nos uniat cum Dilecto noſtro; & abſcondet nos intra vulnera ſua, id eſt, in abyſſo lucis & amoris; in mari immenſo infinitæ ſuæ dulcedinis & pulchritudinis.

Sic abſconditi, non habebimus, quas pertimeſcamus inſidias; ſic defenſi non habebimus, quos fugiamus inimicos; Eja mi JEſu, intra vulnera tua abſconde nos; præſertim autem, intra vulnus lateris tui ſacratiſſimi; in hâc cavernâ maceriæ bene erit timidis colum-

bis, id eſt, in ipſâ cordis tui medullâ; requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam. Annue tu modò, mi Jeſu! tantum dic verbo, tantum dic, veni. Sonet hæc vox tua in auribus meis; & ſalva ſunt omnia.

MENSE JUNIO.

SOL EST IN CANCRO.

EXHORTATIO VI.

IN MENSTRUA CONGREGATIONE AD SODALES CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ. 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SI Chriſtum crucifixum præ omnibus terrenis maximè amemus, cum ipſe nos prius ſummo amore eſt amplexus, ut ne ipſam quidem crucis mortem, licet crudeliſſimam, non horruerit, non deerit nobis merces & præmium, quod cœleſtis Pater diligentibus ſe promiſit; quod pulchris exemplis dilucidatur & confirmatur.

§. 1. *Signum ſextum, Cancer ſancti Franciſci Xaverii.*

§. 2. *Quomodo per amorem debeamus crucifigi cum Chriſto.*

§. 3. *Crucifigi, mortificari cum Chriſto; hoc eſt amare Chriſtum crucifixum.*

§ 4. *Conſtantia & feliciſſimum martyrium S. Calliopii adoleſcentis.*

§. 5. *Et ſanctæ Juliæ.*

§. 6. *Amor ſe crucifigens, vel crucifixus eſt ſuaviſſimus.*

§. 7. *Et arrha ſive pignus æternæ beatitudinis.*

Digitized by Google

§. 1. *Signum ſextum, cancer S. Franciſci Xaverii.*

IN ſigno menſis ſuperioris apud Geminos, inter vincula, & amabiles amplexus illius ſideris, ſive in corde Crucifixi; tam mihi chara fuit quies, ut difficulter ab illo avelli poſſit præſens mea oratio: ne tamen mearum, quas per duodecim ignei & ſanguinei mei Zodiaci amoris Jeſu crucifixi ſigna deduco, exhortationum curſus ſiſtatur, hoc menſe Junio progredior ad cancrum. Vix voculam hanc pronuntiavi, & ecce ſe mihi ingerit ſuaviſſima cogitatio & memoria ſuaviſſimi mei Patris, & dulciſſimi Patroni, S. P. Franciſci Xaverii; cui, lapſam in mare, pendentis è ligno Chriſti D. imaginem, ex undis & fluctibus, ad littus ingens cancer inter chelas veluti in arcu triumphali reportavit, non ſine dulciſſimo Viri ſancti ſolatio. Cancrum ergo hunc cum Crucifixo, jure merito repono inter ſigna ignei & ſanguinei Zodiaci amoris Jeſu crucifixi; ſi in manu mea eſſent quatuordecim elegantes ſtellulæ, (totidem formant cancrum Zodiaci) illis veluti characteribus ego deſcribere vellem has voculas, *Amor crucifixus*. Memini oſtendiſſe me alias Filium DEI, tam ignominioſam, & acerbam crucis mortem elegiſſe, ut illa nobis eſſet ſignum infiniti amoris, quo in charitate perpetuâ nos dilexit; & ſimul liber ſcriptus ſanguine, exaratus clavis, diſtinctus ſpinis, qui nos doceat, ut ſi mutuo illum amore proſequi cogitemus, crucis & Crucifixi nomen & nos in cordibus noſtris præferamus.

§. 2. *Quomodo per amorem debeamus crucifigi cum Chriſto*

Utinam in hoc ſimiles eſſemus cancro noſtri Zodiaci, ut in manibus ſive in opere, ut in ore & linguâ ſive in verbis; ut in corde per cogitationes ſanctas, & amorem circumferamus Chriſtum crucifixum; ut & noſter amor in hoc mundo ſit crucifixus; ut quivis ſodalis ex hâc ſancta congregatione dicere poſſit cum ſancto Paulo ad Galatas cap. 2. verſ. 19. *Chriſto confixus ſum cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* q. d. Apoſtolus & Doctor gentium: ego per Baptiſmum, peccato, & vitæ meæ priori, planè mortuus ſum; & inde, quaſi ab arbore veteri, ſterili, imò ab arbore mortis reſectus ſum, ut arbori novæ crucis Chriſti & ligno vitæ, novus quaſi ramus inſerar, ab eoque vitã ac ſuccum gratiæ participem; ita ut non tam ego, quam Chriſtus in me vivat;

vat; ut non natura, non concupiſcentia, non propria voluntas, ſed Chriſtus per gratiam, ac charitatem me moveat, agat, animet, vivificet; ad omne utique bonum, atque ad actiones virtutum; ut cum Chriſto crucifixo ſim humilis, patiens, obediens, mitis, longanimis, &c. mortuus mundo, toto corpore affixus cruci, clavo timoris Domini, ne mihi liceat ad malum lubricas, manus, pedesque protendere; atque adeo dilectum meum Jeſum offendere. Tales ſurculos cupio eſſe, ſodales hujus ſanctæ congregationis; nimirum ex arbore concupiſcentiæ, ex arbore mortis, quam per peccatum mortale incurrimus, reſciſſos, & inſertos arbori ſanctiſſimæ crucis, per gratiam, & vivum amorem, per continuam ſenſuum mortificationem, per fugam omnis peccati; ut vegetati, & animati, vigore & virtute illius arboris, imò pretioſi ſanguinis Jeſu crucifixi, ad omne bonum, vitæque fructus æternæ diſponamur.

§. 3. *Crucifigi, mortificari cum Chriſto: hoc eſt, amare Chriſtum crucifixum.*

Hoc demum eſt amare Crucifixum! nimirum practicus ſit amor neceſſe eſt; nec puris tantum verborum officiis, vel ſuſpiriis, vel affectibus terminetur, ſed & factis inſiſtat. Nunc itaque, nunc dum ſanctiſſimorum vulnerum corollam ſimul recitando percurrimus; decurramus ſimul, & vitæ noſtræ rationes, mortificemus membra noſtra, crucifigamus ſenſus, nuntium remittamus vanitati, in ſolum, qui in crucis pendet ſtipite, JEſum, oculos defigamus. Hoc eſt inquam, practicè amare. Sic amor ſit Crucifixus; & Crucifixus ſit amor. Sed ad meum ego me Zodiacum recipio.

§. 4. *Conſtantia, eſt feliciſſimum martyrium S. Calliopii adoleſcentis.*

Cœleſtis cancer cum Crucifixo, in Zodiaco amoris, oſtendit, vel proponit nobis prototypon, ex cujus aſpectu amorem noſtrum Crucifixo conformare poſſumus, teſte ſancto Bernardo: *Diſce O Chriſtiane à Chriſto, quomodo diligas Chriſtum.* Chriſtus quia dilexit nos, libenter pependit in cruce; ſi Chriſtum diligimus, ſimul crucem diligere neceſſe eſt. Sic Crucifixum amavit ſanctus Calliopius piiſſimus adoleſcens, qui cum invitaretur ad quoddam feſtum Deorum, reſpondit; *Chriſtianus ſum, hoc me non decet.* Quod cum audiſſet Præſes, juſſit eum immaniter cædi; quo facto, ſic porro illum aggreditur; *Diis ſacrifica, ut vivas; alioquin ut Magiſter tuus ſuffigeris in crucem.* *Admiror*, inquit Calliopius, *impudentiam tuam, qui cùm ſæpe ex me audieris, Chriſtianum me eſſe, & Chriſtianum*

num me eſſe, & Chriſtianum me moriturum, & in Chriſto victurum, tam impudenter pergis veritatem oppugnare? Feſtino eandem, quam Magiſter meus pertulit, mortem oppetere. Quod dixit, fecit; nam cum die Paraſceves, invicto animo, & ingenti gaudio penderet in Cruce, ecce tibi vox de cœlo delabitur, *Veni Civis Chriſti, & cohæres SS. Angelorum.* Ita in Cruce exſpiravit. (Surius 7. Apr.)

Æquè fortunata & beata fuit mors Juliæ, ancillæ ſanctitatis famâ illuſtris. Cum alapis cæſa, crinibus toſta, flagris dilaniata, tantandem Cruci affixa, animam exſpiraſſet, ex ejus ore ſanctiſſima anima inſtar candidiſſimæ columbæ in cœlos evolavit. O triſtes Columbæ! O gementes turtures! Sodales amantiſſimi! qui pennis atque alis ferventis orationis, qui ſuſpiriis, & deſideriis ita evolatis in arborem Crucis? jam ad amoris Crucifixi pedes, mox ad manus, imò ipſum beatiſſimu latus & cor JEſu, nunquid ut aliquando, animæ veſtræ, veluti Columbæ lotæ & dealbatę in ſanguine Agni, evolent in cœlum? Id fiet, obtinebitis hanc gratiam, eritis cives Chriſti, cohæredes SS. Angelorum, ſi tamen amorem veſtrum prius crucifixeritis, ubi membra veſtra ſuper terram mortificaveritis. Ex Cruce, pij Sodales, evolant ad lucem; à ſpinis digrediuntur ad roſas, à duris ad mollia, à regno patientiæ ad thronum gloriæ. Sed crucifigendus eſt amor; mortificandi ſunt inordinati appetitus; *regnum cœlorum* ajebat Salvator, dico ego, regnum amoris, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Qui ſunt illi violenti? qui ſibi ipſis moriuntur, ut vivant Chriſto; qui rebelles naturæ motus, & paſſiones comprimunt indomitas; denique qui vinculis aſtringunt amorem terrenum, ut in libertatem aſſerant amorem cœleſtem. *§. 5. Et S. Iulia.*

Quæ omnia licet veriſſima ſint; ſciant nihilominus mei Sodales, amorem quoque, ſeſe crucifigentem, vel crucifixum eſſe ſuaviſſimum. Amor talis, jucundum facit Paradiſum, non tantùm in cœlis, ſed etiam in terris. Si enim Paradiſus in cœlis, eſt expletio deſiderij, plenitudo gaudij, ſecuritas beata; ſimilia facit amor JESU Crucifixi in terris. Amantis enim JESUM, deſideriis factum eſt ſatis, quia præter JESUM nihil aliud deſiderat. Gaudet, jubilat; quia de ſanctâ morte, & æternâ ſalute, *§. 6. Amor ſe crucifigens, vel crucifixus, eſt ſuaviſſimus.*

eſt quaſi ſecurus. *Nonnunquam*, ait S. Gregorius, *amans, ſic ſummi gaudij felicitate fruitur, ut dejectione timoris nullâ quatiatur.* Dum amorem ſuum Crucifixum contemplatur; illos dolores, illa vulnera, illam agoniam, ſic animatur, ut dubitare non poſſit, quin obtenturus ſit ſuo tempore felicem horam mortis, & per illam æternam beatitudinem. An non hoc eſt, in terris vivere in Paradiſo?

§. 7. *Et arrha, ſive pignus æternæ beatitudinis.*

Amans Crucifixum JEſum, nec timet mortem, nec diffidit de præmio; licet enim hujus magnitudo ſit infinita, ſimul tamen pretium, quo illam comparare poſſumus, ſi volumus. Ad emptionem enim pretioſæ gemmæ, vel margaritæ, duo ſunt neceſſaria; pretium æquivalens, & ut hoc noſtræ ſit poteſtatis; neutrum nobis deeſt ad comparandam margaritam æternæ gloriæ; pretium eſt, ſanguis JESU Chriſti, valoris infiniti, & immenſæ dignitatis, valoris incomparabilis; Hoc pretium noſtrum eſt, quia liberaliſſimus amor JEſu Crucifixi illud nobis donavit. *Nemo igitur deſperet*, (ait S. Auguſtinus;) *nemo dicat, ibi non ero* (ſcilicet in cœleſti Jeroſolyma) *Habemus ſanguinem Chriſti, habemus mortem Chriſti.* Per ipſum, cum ipſo, & in ipſo, ſperamus fieri participes æternæ gloriæ, ut æternùm cum illo beati, æternis illum amoribus complectamur. Ut ſpei hujus anchora ad petram, quæ Chriſtus eſt, magis firmetur, opus eſt fune Roſarij SS. Vulnerum, &c.

MENSE

Digitized by Google

MENSE JULIO.

SOL EST IN LEONE.

EXHORTATIO VII.

AD SODALES CONGREGATIONIS JESU IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

CHriſtus crucifixus in ſuo erga nos amore fuit igneus Leo & vivus & mortuus, cum ab omnibus ſuis hoſtibus victricem tulerit palmam, ſi grati ipſique chari eſſe volumus, nos quoque oportet eſſ igneos Leones, ut contra hoſtes noſtros, contra carnem, contra mundum, contra principem tenebrarum exemplo Chriſti fortiter pugnemus.

§. 1. *Septimum ſignum Zodiaci, Leo.*

§. 2. *Symbolum Chriſti D. ut nos quoque ſimus Leones.*

§. 3. *Oſſa mortui Leonis colliſa excitant flammam.*

§. 4. *Multo magis mortuus in Cruce JEſu crucifixus.*

§. 5. *Idem faciunt ſpinæ, clavi, &c.*

§. 6. *Amor facit amantem fortem & generoſum.*

§. 7. *Præſertim in actibus heroicis.*

§. 8. *Quatuor actus amoris generoſi.*

§. 9. *Etiam amor fortis & generoſus & dulciſſimus.*

§. 1. *Septimum ſignum Zodiaci, Leo.*

EX igneo Cancro, qui ſuperiori menſe, pro ſigno caritatis perpetuæ, quâ Chriſtus Crucifixus nos dilexit, nobis intra ſuas chelas, veluti in arcu triumphali oſtendit glorioſum ſignum S. Crucis, quod Magnus Indiarum Apoſtolus S. Xaverius è collo pendulum circumferre conſuevit; ab hoc inquam ſigno, hoc menſe Julio, progredior & ad igneum & ſanguineum ſignum Leonis in Zodiaco amoris Crucifixi.

§. 2. *Symbolum, Chriſti II. Vt nos quoque ſimus leones.*

Inprimis autem duo ſuppono, tanquam certa & nota. I. eſt. Chriſtum Dominum frequentiſſimè in ſacris literis vocari leonem, & quidem illum, qui cadendo in Cruce, ſuâ morte, de peccato, de diabolo triumphavit. Hos potentiſſimos hoſtes vicit leo de tribu Juda. 2. In vitâ noſtrâ ſpirituali, nos quoque debere eſſe leones, pugnando fortiter contra noſtros hoſtes; & quidem igneos leones, præſertim dum recedimus ab illâ menſâ, in quâ comedimus carnem & corpus, bibimuſque ſanguinem Crucifixi. Ejuſmodi leones non dubito meos eſſe Sodales, per menſtruam Communionem, quam leges noſtræ Congregationis præſcribunt.

§. 3. *Oſſa mortui leonis colliſa excitant flammam.*

Materiam per ſe latiſſimam, habeo quod contraham. Cùm itaque ſignum hoc in Zodiaco, quod vel ſtellæ, vel pictorum colores, nobis ob oculos ponunt, tantùm ſit forma & imago leonis mortui, inanimati, non viventis; hæc unica proprietas, vel denominatio leonis mortui, affectum hujus exhortationis mihi ſuggerit. Oſſa enim leonum, ut ajunt, ſi ad invicem collidantur, veluti chalybs & ſilex evibrant ſcintillas & ignem. Tam igneum animal eſt leo, ut in demortui exuviis maneat ignea virtus excitandi flammam. Elevate quæſo oculos in altum ad SS. Crucem, Auditores! Videtis exuvias demortui & crucifixi noſtri leonis; dilaceratum ejus corpus, dilaniata membra, ſanguineam & laceram pellem, immania vulnera, oſſa, integra quidem, ſed ita diſtracta, ut dinumerari poſſint. His ego exuviis modò in cordibus noſtris flammas amoris, erga Chriſtum Crucifixum, excitare cupio.

§. 4. *Multò magis mortuus in Cruce IEſus Crucifixus.*

Quæſo vos, probè inſpicite dilaniatam carnem Salvatoris; inſpicite, an non plena ſit ſcintillis & ignibus; hanc ego, ſi leones eſtis, cupio affricare cordibus veſtris, ut magnâ copiâ ardentium ſcintillæ ſuſpiriorum erumpant. Nervos, venas, arterias Crucifixi noſtri

Digitized by Google

noſtri leones aſpicite. O quantus in illis latet ignis! ſed latet, niſi affricentur ad oſſa leonum; corda veſtra cupio eſſe hæc oſſa. O nervi! O venæ! O arteriæ Crucifixi! hoc agite; ita contingite meos ſodales, ut toti exardeſcant in flammas amoris. Inter Salvatoris oſſa,quæ dinumerare poteſtis, illud fixius aſpicite, quod patet in aperto humero, à gravi pondere ligni ſanctiſſimæ crucis, vel cui in bajulatione illud onus adeò incubuit, ut pellem, carnem, nervos ita fœdè dicam, an miſerè? ita dilaceraverit, ita comminuerit, ita compreſſerit, ut inter illud os & crucem, præter ſolam Chriſti veſtem inter medium fuerit aliud nihil. Ipſis oſſibus,immediatè incubuit lignum crucis. Ah! mi JEſu! ah! tuos dolores! O ſi ego hoc fortiſſimi leonis oſſe, veluti forti malleo poſſem percutere ſodalium meorum corda, ut ardeant!

Videtis, ut in capite mortui & crucifixi leonis hæreant adhuc ſpinæ, divino ſanguine coloratæ? Utinam, ut oculis cernitis, ſic in animis veſtris illas ſentiretis. Totæ enim ſunt igneæ; ardent! urunt! accendunt. (Ita diſcurre de clavis, de vulneribus,&c.) verbo, Chriſtus crucifixus in ſuo erga nos amore fuit igneus leo, & vivus & mortuus. Si grati eſſe volumus; nosque quoque eſſe oportet igneos leones. §. 5. *Idem faciunt ſpinæ, clavi, &c.*

In omni animalium numero, neſcio an ſit unum aliquod leone, vel fortius, vel generoſius. Talis quoque eſt amor; reddit magnanimum, fortem, & audacem illum cui ineſt. Certe Chriſtum Dominum tam fortem reddidit, & generoſum, ut Judæ proditori obviam proceſſerit, ut crucem ſuam ipſe tulerit, ut in eâ mori non pertimuerit. Inſuperabilis fuit ejus amor atque invictus; fuit ſimul formidabilis mundo, terribilis inferno, admirabilis toti univerſo. Et nos hoſti noſtro diabolo formidabiliores eſſe non poſſumus, quàm ſi amor noſter erga Crucifixum, nobis addat generoſos animos ac ſpiritus; ſic ut ſubinde arduum aliquid tentemus pro amore noſtro Crucifixo. Ferventes ſodales, non ſemper acquieſcunt hærere tantum ad pedes ejus; ſed & ad oſcula manuum, imò baſia vultus & cordis aſpirant. Volupe quidem illis eſt,cum Magdalena lachrymis laxare habenas, iisdemque rigare §. 6. *Amor facit amantem fortem & generoſum.*

vulnera ſanctiſſimor. pedum ſed frequenter etiam cum pio latrone, ipſi quoque cupiunt pendere in cruce, & crucifigi pro Crucifixo, ut ipſi quoque ex ipſius manibus rapiant paradiſum.

§. 7. *Præſertim in actibus heroicis.* Apud SS. Patres, talis amoris actus vocantur, heroici, & excelſi filiorum Dei; & eliciuntur in objectis arduis, atque difficilibus, à quibus valde refugit, & abhorret natura. Tale v. g. objectum eſt ignoſcere & amare inimicum, amore Jeſu crucifixi. Quàm ſubinde arduum eſt atque difficile, abſtrahere cor & affectum à creatura, quam ſenſuali inclinatione proſequimur? Amor facit nos fortes, ut abſtrahamus cum gaudio. Superat amor, quotieſcunque pravæ ſocietatis laqueis innexus, cùm audit reſcindendos eſſe hos laqueos, deſerendos ſocios, vitanda pericula; non ingemiſcit, & veluti rem impoſſibilem ſibi injungi conqueritur? ſed amori nihil impoſſibile. Omnia facit amor: eſt leo. Sed qualis amor? an omnis? nequaquam profectò! qualis igitur? amor JEſu! amor Crucifixi! Hanc proprietatem amoris expreſſit ſponſus illis verbis; *Fortis, ut mors dilectio*, id eſt, eò tandem deveniunt amatores crucis, ut etiam mortem non perhorreſcant; quia ſunt leones cum Chriſto affixi cruci, ſpirantes undique ignem, & flammam amoris. Contra tales leones, quid poterit diabolus? quid caro? quid mundus? quid tentationes? quid perſecutio? quid gladius? nihil. Omnia vincit amor Jeſu crucifixi!

§. 8. *Quatuor actus amoris generoſi.* Richardus ait, eſſe quatuor affectus amoris generoſi: vulnerat, ligat, enervat & necat. Vulnerat affectionem, ligat cogitationem, enervat actionem, & necat vitam. In primo notatur amoris excellentia, in ſecundo vehementia; in tertio violentia, in quarto ſuperemineñtia. Talis eſt amor Crucifixi in aliquo ſodali. Vulnerando potitur affectu cordis, ut illud aliud amare neſciat, quàm Chriſtum crucifixum. Ligando imperat cogitationi, ut nihil aliud cogitet, quàm amorem crucifixum. Enervando perimit omnes vires ad mundana, & dominatur facultatibus, ut aliud operari non poſſint, quàm pro Deo, & Jeſu crucifixo. Cadendo, victor leo triumphat, & implet cor amantis faſtidio, & tædio vitæ præſentis; ut anima judicet utile atque jucundum, mori pro Chriſto, qui ante mori pro ipsâ, & mori quidem in cruce non dubitavit. Hæc eſt vita amantis.

Digitized by Google

tis. Sacrificat ſe totum violentiæ ſancti amoris, affectum, cognitionem, vires ac vitam. Sic & ego cupio vivere mi Jeſu; omnis meus affectus, non meus eſt amplius, ſed tuus. Omnis mea cogitatio, tua eſt. Omnis mea actio eſt ancilla tuæ gloriæ. Vita mea tua eſt; ſed ita; ut dulcis mihi ſit mors, quandocunque tibi libitum fuerit. Finis amoris Chriſti crucifixi in cruce fuit mors. In finem dilexit! In mortem dilexit! Mei quoque amoris finem, in hoc mundo, cupio eſſe mortem; ſed talem, quæ ſit initium amoris ſempiterni. In finem cupio amare, usque ad mortem, & in morte cupio diligere. Ita amaſſe, ita dilexiſſe videtur piiſſimus P. Vincentius Caraffa, in Seraphicâ ſcholâ amoris.

§. 9. *Etiam amor fortis & generoſus eſt dulciſſimus.*

Talis mors, in amore Crucifixi, non poteſt non eſſe dulciſſima. In ore dilacerati leonis, Samſon poſt paucos dies invenit favum & mel. *Ex forti egreſſa fuit dulcedo.* Leo noſter cœleſtis, in ſanguineo Zodiaco amoris Jeſu crucifixi, totus ſtillat melle. Gaudet cor veri amatoris, in amando Jeſu crucifixo, dulcedine inexplicabili, ineffabili! O ſapor Deitatis! O dulcedo paradiſi! O ſuavitas infinita! *Saporem quidem ſentio*, ait S. Bernardus, *dulcem adeo & confortantem, ut ſi perficeretur in me, nihil ultra quærerem: ſed cùm tenere volo, & ruminare, & dijudicare ejus ſaporem, ſtatim tranſit.* O ſaporem generoſum! O victorioſum! ſimul ac animum ingreditur, tollit ex eo corde omnem alium affectum, & operatur deſiderium ſaporis æterni: O mi JEſu! da mihi tuum amorem, ut purificem cor meum ob omni eo, quod tu non es; ut amplius creſcam in flamma tui amoris; ut ſim ardens leo, ſed crucifixus. Sed quis erit dignus tantâ gratiâ? audi S. Baſilium: *Qui nullam recipit præſentis vitæ delectationem, ſed ad illum, quem diligit, medullitus ſuſpirat, fervet, anhelat, anxiatur.* Hoc cupimus mi JESU; medullitus te diligimus, ad te anhelamus &c. Sic diligendo, ſic anhelando, &c. recitabimus roſarium, &c.

MEN-

MENSE AUGUSTO.
SOL EST IN VIRGINE.

EXHORTATIO VIII.

AD SODALES CONGREGATIONIS JESU IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.
Jeremiæ 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DUm cœleſtis Virgo in igneo & ſanguineo Zodiaco amoris crucifixi, non tantum redimita eſt roſis, ſed roſas etiam liberali manu, inter alios diſtribuit, & magnificè diſpenſat, nos inſtruit, ut liberaliſſimo amori liberalem amorem rependamus.

§. 1. *Octavum ſignum Zodiaci, Virgo.*
§. 2. *Amor crucifixus fuit liberalis.*
§. 3. *Amor Crucifixi floridus, vel flos eſt.*
§. 4. *Floridus amor floridum quærit lectulum.*
§. 5. *Pia praxis.*
§ 6. *Amor penſatur amore.*
§. 7. *Suaviſſimum amantis animæ deſiderium.*

§. 1. *Octavum ſignum Zodiaci, Virgo.*

AMor crucifixus, qui à menſe Januario hujus anni in meis exhortationibus menſtruis, ad dilectiſſimos meos ſodales Chriſti in cruce agonizantis fuit cœleſtis Aquarius, Piſcis, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo; in hâc dictione, ſe ſe ob oculos veſtros ſiſtet in formâ & habitu pulcherrimæ Virginis: quæ in Zodiaco octavum format ſignum. Ejus forma, habitus, & ornatus ſunt lucidiſſimæ ſtellulæ. In igneo & ſanguineo Zodiaco amoris Jeſu crucifixi; ignea virgo, ſanguineis redimita roſis, ſignum mihi eſt, munifi-

Digitized by Google

munifici, liberalis, & floridi amoris; quo Chriſtus in Cruce nos fuit complexus. Eadem Virgo ſimul nos inſtruit, in ſcholâ amoris; ut ſimili Chriſtum Crucifixum amore redamemus.

Quàm copioſè Chriſtus D. ſe nobis communicaverit, quam fuerit munificus & liberalis, patet & apertè colligitur ex myſterio SS. Euchariſtiæ, quam inſtituit, antequam in mortem Crucis concederet, ut qui in ſuâ paſſione ſe totum obtulit Patri pro nobis in pretium; deinde iterum, & millies, uſque ad conſummationem ſæculi, modo ſuavi & admirabili, dare poſſet ſe nobis, quoties luberet, in cibum & potum. Quâ adinventione amoris, nobis donat ſuum corpus, & ſanguinem, & animam, & vulnera, & gratiarum meritorumque theſauros; quin ipſam adeo Divinitatem; prout expreſsè dixit Joannis 17. cap. v. 22. *Pater Sancte! claritatem,* (id eſt, divinitatem) *quam dediſti mihi, dedi eis.* O amor Divine! Amor munifice! Amor liberalis, & quid ſuper eſt tibi, quod nobis largitus non ſis?

§. 2. Amor Crucifixi fuit liberalis.

Ideo floridus eſt amor: amor enim liberalis libenter habitat inter flores, inter flores paſcitur, inter flores deliciatur. Placet illi roſa caritatis, placet viola humilitatis & patientiæ, placet lilium puritatis. Floridus eſt amor, quia naſcitur à flore, qui in Canticis cap. 2. v. 1. dicitur *flos campi.* Vel ut alij legunt, *flos abundantiæ*; vel, *flos ſaturitatis*; flos liberalitatis; flos qui ſatiat cum abundantiâ omnis boni. Advertitis de quo loquar? conijcite oculos, vel in SS. Crucem, ut SS. Hoſtiam. Utrobique pulcherrimum reperietis florem; JEſus enim in Cruce totus Nazarenus eſt; in Cruce roſa eſt, viola eſt, lilium eſt. Lilium quoque, viola & roſa eſt in SS. Euchariſtia. Utrobique flos campi, flos abundantiæ, flos liberalitatis, flos, qui ſolus ſatiat, cum abundantiâ, deſideria cordis. Flos hic, ſive amor, ſimul fons eſt, & fluvius, torrens, imò mare, quod non intra ſe tantùm continet theſauros & ſcaturigines aquarum viventium; ſed largè eaſdem extra ſe communicat, & diffundit. Videte! quàm ſpecioſus fons ebullit ex vulneribus SS. pedum! quàm ſpecioſus fons ex SS. manibus? ſpecioſiſſimus verò ex dulciſſimo corde; quem liberalis ſuſcitavit amor.

§. 3. Amor Crucifixi, floridus; vel flos eſt.

§. 4. *Floridus Amor, floridum quærit lectulum.* Sed advertite! Speciosa hæc Virgo, ſive floridus Amor JEſu Crucifixi, in cordibus noſtris lectulum quærit, qualem Sponſa deſcripſit Cant. 1. cap. v. 16. *Lectulus noſter floridus eſt*, q. d. lectulus cordis mei totus conſperſus eſt, & halat floribus: talis lectulus placet Cœleſti Sponſo. Laudo proinde illos Sodales, quorum ſanctum eſt exercitium, & pretioſa occupatio, ut corda ſua exornent variarum virtutum floribus; & ita florido ſive liberali Amori dulcem præparent lectulum. Placebit ille adhuc magis, ſi ferventibus ad SS. Vulnera, ſalutationibus, & ſuſpiriis, veluti roſis, corda noſtra conemur exornare.

§. 5. *Pia praxis.* Placet mihi pia praxis, quam ſuadet Auctor libelli, cui, Teſtamentum hominis Chriſtiani, nomen eſt; ut nimirum Beatiſſimæ Virgini offerantur quotidie aliquæ preces, & actus virtutum, veluti roſæ & lilia, ut ex omnibus pulcherrimum componatur ſertum, ſive corona, pro auguſtiſſimo vertice Magnæ DEI Matris, veluti vectigal, vel tributum quoddam florum; putat vir pius, hanc devotionem magnæ aliquando nobis in ſupremo agone fore conſolationi. Quidni ſimili praxi, per ardentes preces, per pia ſuſpiria, per ferventes affectus, pulcherrimas colligamus roſas, & candida lilia; quidni illos flores prius intingimus roſeo JEſu Crucifixi ſanguini, ut in unam funiculo Roſarij SS. Vulnerum colligentur coronam, pro auguſtiſſimo vertice JEſus Crucifixi? Ne dubitate; floridum hoc tributum JEſus Nazarenus, beatâ morte remunerabitur.

§. 6. *Amor penſatur amore.* Dum cœleſtis Virgo, in igneo & ſanguineo Zodiaco Amoris Crucifixi, non tantùm redimita eſt roſis; ſed roſas etiam liberali manu, inter alios diſtribuit, & munificè diſpenſat, nos inſtruit, ut liberaliſſimo amori, liberalem amorem rependamus. Dignius pro amore pretium referre non poſſumus, quàm roſas amoris Receptum in Scholâ amoris axioma eſt, *Amor ſe ſolo penſatur*. Amor, non alio auro æſtimatur, quam auro amoris. Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam, & non dederit ſimul amorem, deſpiciet eam. Amor JEſu in Cruce non deſiderat aliud, quàm noſtrum amorem. Cibus ejus, amor noſter eſt. Pax & gaudium ejus, amor noſter: amore ſolo contentus eſt. O ſanctum & beatum amorem, qui tantum delectat DEum! Quid non debemus Re-

demptori

demptori noſtro, pro infami morte Crucis? quid non? pro ſpineâ corona? pro clavis? pro Vulneribus, pro ſanguine? dignior pretio, tanto debito, & tantæ obligationi ſatisfacere non poſſumus, quàm redamando. Hâc ſatisfactione, amore, delectamus JEſum. In graviſſimis doloribus Crucis, in anguſtiis mortis, in extremâ ultimi trihorij, deſolatione; ſolatio & oblectationi illi fuit noſter amor, quo jam illum proſequimur. O ſodales! oblectate JEſum! amate illum ardenter!

O floride amor! quàm ſuave deſiderium mihi ſuggerit, dictum hoc Doctoris Angelici; *Amor eſt impreſſio amati in amatum, & amantem.* In hoc itaque amor Crucifixi eſt liberaliſſimus, cùm ſe imprimit cordibus ſe amantium! Ecce mi JEſu! corda meorum Sodalium ſunt cera candida, & molliſſima; candida, quia lota ſunt in tuo ſanguine! molliſſima; quia liquefacta ſunt in ardenti clibano tui pectoris. Mi bone JEſu! huic ceræ imprime tua Vulnera, tuum Cor, &c. Eſto in hoc liberalis, & dona nobis amorem. Imprime in cordibus noſtris vivam imaginem Crucifixi, ut ſimus tui amatores. O felix! O beatum cor, cui ſe imprimit JEſus Crucifixus! ſpero talia eſſe corda meorum ſodalium. Spero in omnibus vivere JEſum! quocirca, ut ſuaviter in nobis conquieſcat; ſternamus illi lectulum ex roſis; ſpineæ coronæ intexamus roſas; Vulneratum verticem coronemus roſis. Roſis ornemus vulneratos pedes, totam denique Crucem. Has roſas nobis offert roſarium quinque SS. Vulnerum, ſi quidem devotè illud, & ferventer oremus Hoc agamus, in nomine Patris & Filij & Spiritus S.

§. 7. Suaviſſimū amantis animæ deſiderium.

AMEN.

MENSE SEPTEMBRI.

SOL EST IN LIBRA.

EXHORTATIO IX.

IN MENSTRUA CONGREGATIONE AD SODALES CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ. II. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEclarat amorem Chriſti crucifixi tanto ſeveritatis zelo fuiſſe accenſum, ut de ſemetipſo etiam graviſſimas ſumpſerit pœnas, & hoc nulla alia ratione & fine, quam ut Divinæ Juſtitiæ pro offenſa, & pro illata injuria ſatisfieret, noſque miſeros ac perditos è faucibus infernalis Lupi & Leonis eriperet.

§. 1. *Nonum ſignum cœleſtis Zodiaci, ignea libra divinæ Juſtitiæ.*

§. 2. *Amor Moyſis erga populum ingens, ſed rigidus & ſeverus.*

§. 3. *Fuit figura amoris Chriſti crucifixi.*

§. 4. *Mors & ſanguis Crucis crucifixi extinxit iras D. Juſtitiæ.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Sanguinis guttula, eſt ſatisfactio noſtra.*

§. 7. *Libra Juſtitiæ, rubra ſanguine Chriſti, eſt cœleſtis iris.*

§. 8. *Epilogus.*

§ 1. *Nonum ſignum cœleſtu Zodiaci, ignea libra divina juſtitia.*

EX igneo & ſanguineo ſigno cœleſtis Virginis, ſive amoris Crucifixi; hoc menſe Septembri, mea dictio cùm ſole ingreditur ſignum igneæ & ſanguineæ libræ. Virgo cum librâ & gladio eſt emblema, quod in ſcholâ amoris oſtendit amorem, licet ſuavem, eſſe ſimul juſtum & vindicativum; amat nos Deus amore infinito, amore ſuaviſſimo, munifico, liberali; ſed odit in amato, quod ipſi ſummè diſplicet; ſcilicet peccatum; & ita odit, ut in illud graviſſimè animadvertat. Hinc eſt & illud, quod cum nos pro illo; divinæ juſtitiæ rigori ſatisfacere nequaquam potuerimus, Filius Dei factus ſit homo, ut alteri parti, ſive lanci D. juſtitiæ, in quâ poſita erant omnia ſcelera, atque omnis humani generis malitia; ipſe contraponeret, in ſatisfectionem condignam, ſuam paſſionem, crucem, mortem, & præſertim SS. ſanguinem crucis In hoc oſtendit, quantum nos amaverit Jeſus crucifixus; dum ſuâ morte & ſanguine pro noſtris peccatis voluit ſatisfacere; ut ſimul intelligeremus, quanto Deus odio quodvis peccatum mortale proſequeretur. Eadem requiro ab amore noſtro erga Chriſtum crucifixum, ut ſatisfaciat pro peccatis præteritis; & malit mori, quàm peccare deinceps.

§. 2. *Amor Moyſis erga populum ingens; ſed rigidus & ſeverus.*

Ardentiſſimum ſuum amorem erga populum, tum potiſſimum oſtendit Moyſes, cùm Exodi cap. 32. v. 31. ita oravit ad Dominum, juſto in ingratos furore accenſum: *Aut dele me de libro, quem ſcripſiſti, aut dimitte eis hanc noxiam.* Sic oravit, cùm paulò ante juſto armatus zelo, viginti tria hominum millia uno die juſſiſſet internecione deleri. Tam amor Moyſis fuit rigidus & ſeverus. De quo pulchrè S. Gregorius M. lib. 20. moral. cap. 6. *Ecce Moyſes, qui vitam omnium cum ſuâ morte petivit; paucorum vitam gladio extinxit; intus ignibus amoris, foris accenſus erat zelo ſeveritatis. Vtrobique legatus fortis; cauſam populi apud Deum precibus; cauſam Dei apud populum gladiis alligavit. Intus amans! divinæ iræ ſupplicando obſtitit; foris ſæviens! culpam feriendo conſumpſit; ſuccurrit omnibus offenſâ paucorum.* Et exauditus fuit, quia prius cauſam Dei egit, injuriam vindicans; Deum reconciliavit, quia prius gladium in manibus habuit, gladium furoris eripuit è manu Dei, & invenit gratiam coram eo.

Digitized by Google

§. 3. *Fuit figura amoris Chriſti crucifixi.*

Cœleſtis Moyſes Chriſtus Salvator noſter, ardentiſſimum ſuum amorem, erga nos tum præcipuè oſtendit, cùm non tantùm pro genere humano emori petiit, ſed & cùm crucem aſcendit, & in illâ vitam ſuam pro nobis dedit, ut ita non paucorum hominum nece, ſed nece & morte Filii Dei, divinæ juſtitiæ ſatisfieret. Talis pependit in cruce Chriſtus; intus in corde flagrans ignibus amoris infiniti erga nos homines! hic amor, ut crucem aſcenderet, impulit, plus dico; hic ipſum amor cruci affixit, &c. Sed ſimul videte, & attendite, ut foris in toto corpore, per omnia membra accenſus ſit in zelo ſeveritatis, quâ de ſe ipſo pœnas ſumit tam atroces; tormenta ſubit tam horrenda, ut divinæ ſic juſtitiæ fieret ſatis: pro offensâ, & pro illatâ injuriâ. Noſtram cauſam apud Patrem egit in cruce ferventiſſimis precibus, & cum lachrymis; intus in corde accenſus ignibus amoris. Cauſam verò Patris agit, patiendo, fundendo ſanguinem, moriendo. Intus amans! ſupplicando obſiſtit iræ Patris, continet gladium juſtitiæ; culpam verò noſtram intus & foris patiendo conſumit. Sic unius paſſio, unius mors, ſuccurrit omnibus; exauditus eſt, & Deum nobis reconciliavit. Libram divinæ juſtitiæ cruentam reddidit, dum ſanguinem crucis impoſuit, cujus vel unica guttula, peccatis omnibus in unum collectis cumulum, prævalet; ideoque iram Patris extinguit, & gratiam invenit.

§. 4. *Mors & ſanguis crucis extinxit iras D. juſtitiæ.*

Bene obſervanda ſunt pauca verba S. ſcripturæ Eſther c. 7. v. 10. *Suſpenſus eſt Aman in patibulo, & Regis ira quievit.* Idem contigit in redemptione generis humani. Filius Dei non ob peccata propria, ut Aman, ſed propter iniquitates noſtras, ſuſpenſus eſt in patibulo crucis, & ira Dei quievit. Jacebant in cœleſti librâ juſtæ Nemeſis, milliones peccatorum ſuperbiæ, avaritiæ, libidinum, &c. quæ cœleſtes inflammabant iras; dùm Chriſtus D. ſuſpenſus in cruce alteri lanci ſpineam v. g. impoſuit coronam, tinctam ſuo ſanguine; ira extincta quievit. Advertite, an ignea & ſanguinea hæc libra dici non poſſit? an non illa ſignum nobis ſit illius amoris, quo nos Chriſtus amavit in cruce, pro nobis offerendo ſpineam coronam. An non nos doceat, quomodo & nos pro peccatis noſtris debeamus ſatisfacere; quod fit, ſi ſpinas tribulationum ex amore Crucifixi, libenti animo, in ſatisfactionem peccatorum, toleremus.

Digitized by Google

Alteram Divinæ juſtitiæ bilancem implebant alia graviſſima hominum ſcelera; O quantum chaos! O quanta ſordium congeries! quanta, prò Deum immortalem, quanta peccatorum multitudo! & quis omnia dinumerabit? cum arenas, quæ ſunt in littore maris, numero longè excedant! deprimebat hanc lancem tot millium invidia, tot millium; imò tot millionum luxuria, tot millium gula, &c. Pondus grave gravatum eſt ſuper me; ajebat olim Regius Pſaltes, ego verò; pondus grave gravatum eſt, ſuper bilancem juſtitiæ divinæ! At ecce! ſperate bene mortales; video aliud, quod prægravabit pondus. Sperate bene; video in lance alterâ paſſionis inſtrumenta divinæ; video clavos, ſpinas, virgas, funes, columnam, flagella, lanceam, & complura alia; video præcipuè pretioſum ſanguinem Jeſu crucifixi. Bene habet; victor eſt amor! cedit furor! Ira cœleſtis Regis quievit. In libra, quam divinus Chriſti ſanguis purpuravit, non ponderant peccata. *§. 5. Proſecutio.*

Expertus hoc fuit ille pœnitens in agone; qui cum inter ingentes anguſtias vidiſſet, dæmones imponere uni lanci cœleſtis libræ gravia ſua ſcelera, & jam de ſe conclamatum ratus arbitraretur; jam jam à judice ferendam in ſe ſententiam æternæ damnationis, timeret; vidit matrem miſericordiæ, cui fuerat devotus, obtinentem à Filio unicam guttulam pretioſi ſanguinis ex vulnere aperti pectoris; quam dum veluti radiantem aliquem carbunculum alteri lanci injecit, ecce tibi evanuerunt peccata omnia, & ira judicis quievit; & reus invenit gratiam. Cogitate, quantum nos amaverit Chriſtus crucifixus, qui ex amore infinito in cruce, ſuum ſanguinem nobis dedit in ſatisfactionem peccatorum. Signum hujus amoris æternum erit cœleſtis, & ſanguinea libra D. juſtitiæ. *§. 6. Sanguinis guttula, & ſatisfactio noſtra.*

Poſt diluvium egreſſus Noë ex arcâ ædificavit altare Domino, & tollens de animalibus mundis, præſertim immaculatum Agnum, obtulit holocauſtum ſuper altare, odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitatis: & poſuit arcum in nubibus, in ſignum fœderis & pacti, inter ſe & homines. Hoc holocauſtum fuit figura Agni immaculati, & immolati in altari S. crucis. Viſo hoc Agno placatus eſt Dominus. Divina miſericordia ſanguinem illius Agni impoſuit *§. 7. Libra juſtitiæ rubra ſanguine Chriſti, eſt cœleſtis iris.*

ſuit

ſuit libræ divinæ juſtitiæ, & ira ejus quievit. Odoratus eſt Dominus odorem illius holocauſti. Signum fœderis & pacti initi; ſignum reconciliationis ſunt quinque ſpecioſi illi arcus in nube ſanctiſſimæ humanitatis Chriſti; ſive quinque illa roſea vulnera, in pedibus, manibus & benedicto corde. Libram & gladium juſtitia tradidit miſericordiæ; hæc, illi olivam pacis. Quidni dicam, hanc libram in manibus miſericordiæ non eſſe amplius ſignum iræ, ſed amoris, quo nos amavit JESUS crucifixus, qui ſanguine crucis pro noſtris peccatis ſatisfecit. Idem ſignum nos docet, ut viciſſim amor noſter erga illum, conetur illi offerre condignum pretium in ſatisfactionem peccatorum. Quæ dicenda erant de odio peccati, audietis, ſi Deo placet, menſe ſequenti.

§. 8. *Epilogus.* Hoc modò agamus. Profuit alteri in agone graviter à dæmone accuſato, ab Angelo cuſtode lanci judicis injici roſarium, quod moribundus frequenter magnæ matri recitaverat. Recitemus nos modò roſarium quinque SS. Vulnerum, illo fervore, illâ devotione, illis deſideriis ſatisfaciendi pro noſtris peccatis, ut aliquando in agone, cùm à cacodæmonum turbâ, in nos horrenda accuſationum capita proferentur, Angeli noſtri tutelares, libræ juſtitiæ illud injiciant. Non dubitate, præcipuo tum nobis erit ſolatio, ardenter amaſſe Crucifixum, odiſſe peccatum mortale, & non minus devotè, quàm frequenter roſarium SS. Vulnerum decurriſſe.

MEN-

MENSE OCTOBRI.
SOL EST IN SCORPIONE.
EXHORTATIO X.
IN MENSTRUA CONGREGATIONE AD SODALES CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ. 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AMor crucifixi erga nos non tantum fuit igneus ſed ignis, ob varias cauſas, ut pulchrè oſtenditur in hoc noſtro decimo ſigno, ſcilicet Scorpione.

§. 1. *Signum decimum, ſcorpio.*
§. 2. *Aliqua Scorpionis proprietates.*
§. 3. *Amor Crucifixi non tantum fuit igneus, &c.*
§. 4. *Alia cauſa.*
§. 5. *Alia cauſa.*
§. 6. *Alia.*
§. 7. *Alia cœleſtis ignis proprietas.*
§. 8. *Omnia debemus amori JEſu Crucifixi.*
§. 9. *Diligite JEſum, & habebitis quæ voletis.*

IN cœleſti Zodiaco, ut vulgò loquimur, menſe hoc Octobri, ſol eſt in ſcorpione. Verùm quâ ratione venenatum & omnibus exoſum hoc animal, locum inveniet in igneo & ſanguineo Zodiaco, ſive circulo Amoris JEſu Crucifixi? imò habet locum ſuum; cœleſtium horum ſignorum ſitû & ordine decimum. Aliquæ hujus beſtiæ proprietates mihi modò non incongruè deſerviunt. §. 1. *Signum decimum, ſcorpio.*

§. 2. *Aliqua ſcorpionis proprietates.*

Si injiciatur in circulum compoſitum ex ardentibus prunis, ſtatim ſe perimit. Inter ignes mox emoritur. Venenum ſcorpii vulnerat, inficit, & perimit. Oleum tamen ex ipſius exuviis elaboratum, contra ejuſdem venenata ſpicula, horumq; vulnera, præſentiſſimum eſt antidotum, & ſalutaris medicina. Per venenum intelligo peccata univerſi humani generis; quæ Chriſtus D. Salvator noſter in ſe ſuſcepit, pro quorum ſatisfactione in Cruce debuit, & ex infinito amore voluit, ſatisfacere. Et ita per mortem Crucis, cœleſtis ſcorpius, ſive Divinus amor, inter ignes amoris quodammodo ſe ipſum peremit, quia mortuus eſt, quia voluit; nemo enim alius mortem illi inferre potuiſſet, niſi voluiſſet. Ingens ardor illius amoris, fuit divinus ignis, quo in arâ Crucis conflagravit; & de eâdem Cruce defluxit pretioſum oleum divini ſanguinis, quo noſtra Vulnera à cœleſti ſcorpio conſanantur. Verè cœleſtis, igneus & ſanguineus ſcorpius, qui nobis ſignum eſt infiniti amoris, quo nos Chriſtus in Cruce dilexit, eſt & Magiſter, qui in ſcholâ amoris nos inſtruit, quo amore Amorem illum debeamus redamare.

§. 3. *Amor Crucifixi erga nos, non tantùm fuit igneus, ſed ignis: ob varias cauſas.*

Dixi ſæpius amorem Crucifixi erga nos eſſe igneum; dicam amplius; dicam enim, fuiſſe totum ignem ob varias cauſas. Ignis eſt quaſi omnipotens, dum ferrum emollit, & quævis metalla liquefacit. Talia operatur amor Chriſti in Cruce, cum emollit & liquefacit dura corda peccatorum; quantò magis emolliet corda meorum Sodalium, qui nil aliud deſiderant, quàm ut ſub recitatione Roſarij quinque SS. Vulnerum, in conſpectu SS. Sacramenti ab his flammis liquefiant, & diffluant, in formam dulciſſimi cordis JESU!

§. 4. *Alia cauſa.*

Ignis cùm agit hoſtiliter, terribilis eſt, & formidandus. Ut patet in incendiis, tonitruis, & fulminibus; at cùm amicus eſt, ſummè beneficus eſt, lucet, calefacit, coquit cibos. Talis eſt Amor noſter Crucifixus! Cavete impij, avertite oculos, in genua procumbite, ne videatis! ne vos feriant triſulca tela, quæ contra impios vibrantur ex Vulneribus Salvatoris. Vos verò Sodales mei amantiſſimi, ad hunc ignem accedite, vobis lucet, veſtra corda & pectora calefacit, veſtros affectus ſuaviter inflammat vobis, ſuam carnem & ſanguinem præparat in cibum & ſuaviſſimum potum.

Ignis

Digitized by Google

Ignis latet in abſtruſis, ſilicis alicujus venis; quædam ſaxa fœcunda & plena ſunt igneis ſcintillis. Talis petra eſt Chriſtus noſter crucifixus. Venæ, pori, maceriæ, cavernæ, ſunt quinque ſanctiſſima Vulnera. Sed! O! qualis latet ignis! quàm dulcis, quàm ſuavis: quam fortis! in SS. Vulneribus; hoc rogo; mox ſub oratione noſtri roſarij accedite hanc petram; percutite illam ardentibus ſuſpiriis, & ſentietis illas, quæ erumpent ſcintillæ. Corda veſtra ardebunt. Utinam omnes voculæ, utinam omnia verba orationis Dominicæ, & ſalutationis Angelicæ, præſertim benedicta illa nomina JEſus & Maria, ſint tales ſcintillæ, quæ orationem noſtram inflamment, vertantque corda noſtra in ſuaviſſimum holocauſtum. Hæc eſt una ex dulciſſimis operationibus ardentis ſcorpionis, ſive amoris JEſu Crucifixi; cor, pectus, oculos, linguam, & animam, his ſcintillis urere, & comburere. §. 5. *Alia cauſa.*

Ignis, ſuâ naturâ eſt puriſſimus; ſecretus ab omnibus ſordibus, nec in eo quidquam eſt, quod non ſit ignis; imò, à ſe diverſa, v.g. aurum, argentum, aliaque metalla purificat. Ob eandem proprietatem ignis ſemper tendit ſurſum, quaſi diceret, Cœli ſum proles, proinde in altis reperio centrum meæ quietis. Pulcherrimum emblema amoris JEſu Crucifixi; illos, quibus ineſt, ſecernit inprimis ab omni inordinato amore creaturarum, & corda illorum inſtar auri, vel argenti purificat. Videre mihi videor, quomodo corda meorum ſodalium, igneis alis ſurſum evolent, quomodo conſcendant in palmam Crucis; ut dicere poſſim homines vos eſſe, ſed cœleſtes, ſed igneos, quorum unica quies & habitatio eſt in SS. JEſu Crucifixi Vulneribus. §. 6. *Alia.*

Ignis, ut quotidie cernimus, plura inter ſe diviſa & ſegregata, liquefaciendo unit, conjungit, & coagmentat. O ſuavem effectum amoris JEſu Crucifixi; præſertim inter Sodales hujus Congregationis, quorum corda licet inter ſe diviſa ſint; corda tamen, per fidem, ſpem, caritatem & amorem, ſimul unita ſunt in uno corde Crucifixi. Super victimas & hoſtias in Veteri Teſtamento DEO oblatas (præſertim illas, quæ fuerunt acceptæ, qualis v.g. fuit, agnus Abelis, aries Abrahami, &c. frequenter deſcendit ignis de cœlo, qui illas depaſcendo, DEO quaſi conſecrabat & ſanctificabat. §. 7. *Alia cœleſtis ignis proprietas.*

Digitized by Google

Ad hunc finem hic convenimus, ut ſub ferventi & devotâ recitatione Roſarij SS. Vulnerum, corda & animas noſtras, veluti hoſtias & victimas, cùm immaculato agno, immolato in arâ Crucis offeramus in odorem ſuavitatis. O ſi videre liceret illos ignes, quos Vulnera SS. pedum ejaculantur. O ſi illas prunas, quæ decidunt de ſanguineis manibus. O ſi illas ſcintillas, quæ ex accenſo Chriſti corde erumpunt, ut nos totos DEO ſacrificent & ſanctificent; Talis eſt ignis, quo in cruce exarſit cœleſtis ſcorpius, cùm venenum & vulnera peccatorum noſtrorum, oleo pretioſi ſui ſanguinis ſanavit.

§. 8. *Omnia debemus Amori JESV Crucifixi.* Inſtruimur, ut noſter quoque amor erga Crucifixum ſit igneus, & ignis. Non quod parem amorem referre poſſimus; (nam ut ait S. Auguſtinus) quod eſt una gutta ad fontem; atomus unus ad aërem, favilla una ad fornacem, unum granum arenæ, ad terram, & littora maris; &c. hoc eſt amor omnium noſtrum ad amorem, quo Chriſtus nos amavit in Cruce. S. Bernardus Serm. de quadupl. debito. Chriſto JEſu debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro tuâ; & cruciatus amaros *ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres -- cùm ergo enim donavero, quidquid ſum, quidquid poſſum; nonne iſtud eſt, ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad pluviam, lapis ad montem, granum ad acervum.* Verùm in hoc laboremus, ut amor noſter ſaltem ſit guttula in Oceano amoris, ſaltem ſcintilla in accenſis fornacibus SS. Vulnerum, & clibano ardentis pectoris; ſaltem ſtellula in firmamento amoris, ſaltem floſculus in illius paradiſo. Niſi hoc placeat conſilium, ut piis deſideriis, quivis colligat, vel coäcervet, omnes illas arenulas, omnes favillas, omnes omnium amantium cordium ſcintillas, omnia grana, omnes guttulas, omnes floſculos, & omnia ſimul; verbo, omnes actus amoris noſtri erga JEſum Crucifixum, illoſque ipſi offeramus in odorem ſuavitatis. Sed relinquo materiam ampliſſimam, non poſſum intra quadrantis ſpatium pro dignitate exponere, qualis ignis debeat eſſe noſter amor, ut aliquando, veluti cœleſtes ſcorpij inter ignes amoris, toti in holocauſtum conflagremus.

Tempus

Digitized by Google

Tempus eſt, ut ordiamur roſarium quinque ſanctiſſimorum Vulnerum; quæſo eſtote memores paucorum ſed ſuaviſſimorum verborum, quibus Chriſtus Dominus adhortatus fuit, ad impetrandum quidvis per orationem, ſanctam Brigittam; *Dilige me ſolum, & habebis quæ voles, & abundabis.* His verbis finio hanc exhortationem; ſtellulis, quibus in Zodiaco formatum eſt ſignum Scorpionis, ego depingo hæc verba; ſodales amantiſſimi; orate ferventer roſarium quinque ſanctiſſimorum Vulnerum, & ſolum Jeſum crucifixum diligite, & omnia habebitis, quæ voletis, & præcipuè ſanctam mortem, in quâ omnis noſtri boni felicitatisque ſumma conſiſtit. §. 9. *Diligite Jeſum, & habebitis, quæ voletis.*

MENSE NOVEMBRI.

SOL EST IN SAGITTARIO.

EXHORTATIO XI.

AD SODALES CONGREGATIONIS JESU IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ 31. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendet congregationem Chriſti in cruce agonizantis, nihil eſſe aliud, quam cœtum ſagittariorum, qui igneis & ardentibus ſagittis armati oſtendunt, ſe eſſe amatores Crucifixi, ut ſanctæ mortis felicitatem velut jaculando obtineant.

Digitized by Google

§. 1. *Jeſus crucifixus fuit & eſt igneus ſanguineuſque ſagittarius.*

§. 2. *Amor eſt aurea & acuta ſagitta, triplex illius effectus.*

§. 3. *Vulnera amoris ſunt decora.*

§. 4. *Chriſtus crucifixus vulneratus cervus.*

§. 5. *Exuberans amor erga Crucifixum, quid ſit ille amor.*

§. 6. *Sancta Thereſia vulnerata à Seraphino, vulneratum & ardens cor S. Auguſtini.*

§. 7. *Epilogus, ſive adhortatio ad ardentem orationem.*

§. 1. *Jeſus crucifixus fuit & eſt igneus ſanguineuſque ſagittarius.*

HOc menſe Novembri ſol eſt in Sagittario. Hoc ſignum efformant lucidiſſimæ ſtellæ, veluti maſculum cum arcu & ſagittâ; unde nomen obtinuit, & eſt in Zodiaco ſignum ordine undecimum. In Zodiaco verò meo igneo & ſanguineo, quem hoc anno exhortationes meæ percurrunt, ſagittarius cœleſtis eſt amor Jeſu crucifixi. Arcum faciunt extenſa brachia amoris crucifixi; funes ſunt diſtenti per totum corpus nervi & arteriæ; funis fortiſſimus, funis coccineus, ob prctioſum amoris crucifixi ſanguinem, quo reſperſus eſt. Sagittæ ſunt variæ; Sagittæ ſunt illi radii, ex benigniſſimis oculis Salvatoris; Sagittæ igneæ, acutæ, potentes ſunt ſeptem verba, quæ amor in cruce protulit. Sagittæ fuerunt ardentiſſima ejus ſuſpiria ad Patrem, pro ſalute humani generis. Sagittæ, ferventiſſimi actus amoris, quo in cruce nos proſecutus fuit. Sagittæ ſunt ſpinei aculei, ebrii ſanguine ex D. capite, ſagittæ illi clavi &c. Pharetræ ſunt quinq; roſea vulnera, præcipue ſuaviſſimum dulciſſimi amoris cor, plenum igneis ſagittis. Et cur Chriſtum in cruce non vocem igneum & ſanguineum ſagittarium in Zodiaco amoris? Idem ſagittarius nos docet in ſcholâ amoris, quomodo amorem crucifixum redamare debeamus. Hoc intendo hâc exhortatione; ut oſtendam, noſtram congregationem nihil eſſe aliud, quam cœtum ſagittariorum, qui igneis & ardentibus ſagittis armati, oſtendunt, ſe eſſe amatores Crucifixi, ut ſanctæ mortis felicitatem, velut jaculando obtineant, Ut verò lætiſſimam per ſe materiam conſtringam, nihil dicam de pharetrâ, de arcu, de funibus; hoc oſtendam: Amor Jeſu crucifixi erga nos fuit ſagitta. Sagittam viciſſim noſtrum eſſe cupio amorem.

Apparuit

Digitized by Google

Apparuit aliquando Dominus cuidam Sanctæ, cum aurea ſagitta in manu, quâ cor ejus transfixit, & reliquit in eo vulnere tres effectus. I. Tædium & nauſeam omnis creaturæ. II. Deſiderium ingens uniendi ſe cum ſolo Deo. III. Viſa ſibi fuit illius Sanctæ, anima ſeparata à corpore, & immerſa nectari divini amoris: O mi amor crucifixi! mi Jeſu! aureæ ſagittæ ſunt vulnera ſanctiſſimorum pedum & manuum; in corde, præcipuè videre mihi videor auream ſagittam amoris, quâ læſus occubuiſti ſub arbore crucis. Ecce hic tuos ſodales! adſunt, ut orent roſarium ſanctiſſimorum vulnerum pro felici morte. Adſunt, ſed armati aureis ſagittis ſanctiſſimorum deſideriorum, ut iterum vulnerent cor tuum. Sed hæc obſecro mi Jeſu! ut tu prior de cruce, aureâ ſagittâ tui amoris percutias corda noſtra, ideo; ut dum oramus, ſit in nobis tædium & nauſea omnis creaturæ, ut aliud præter te non amemus. Ideò; ut ſub oratione roſarii ingens in nobis ſit deſiderium, uniendi nos cum ſolo amore crucifixo. Ideo peto vulnus ab aureâ ſagittâ tui amoris, ut ſub oratione animæ noſtræ ſeparatæ à corpore, ſeparatæ à mundo, &c. totæ immergantur nectari dulciſſimi tui amoris, præſertim aliquando in agone, inter anguſtias mortis. O mi Jeſu! ego & mei ſodales nihil deſideramus aliud, quàm ab aureâ tuâ ſagittâ, ſive ex ſanctiſſimis pedibus, ſive ex benedictis manibus, ſive ex ſuaviſſimo corde tuo, ſic vulnerari, ſic mori! Vulnerari à te, & mori pro te! Sic vulnerari, ſic mori, eſt vivere.

§. 2. *Amor eſt aurea & acuta ſagitta. Triplex illius effectus.*

Docet me hæc deſideria Origines tr. 3. in Cant. ubi ait: *O quàm decorum à charitate* (ab igneo & ſanguineo ſagittario, ab amore crucifixo) *vulnus accipere. Siquidem Deus,* (dico ego Jeſus de cruce) *ſagittarius, &c.* Aurea ſagitta eſt amor ejus. Et ecce corda noſtra ſunt expoſita, transfige illa Domine dulci ſagittâ tui amoris. O nos beatos! *Si ſagittæ tuæ intra nos ſint,* (ut Jonathas olim ſuaviſſimo ſuo David dixit) miſeros, *ſi ultra nos ſint*, ſi prætereant, ſi non figantur in nobis: *Nudemus membra noſtra bono vulneri, nudemus ſagittæ electæ,* ait S. Ambroſius l. 5. in Pſ. 118. Et hæc eſt profeſſio ſodalium congregationis Chriſti in cruce agonizantis, tenere cor apertum & clauſum. Apertum ſagittis cœleſtis ſagittarii de cruce. Clauſum ſagittis ſagittarii infernalis, qui corda hominum

§. 3. *Vulnera amoris ſunt decora.*

ferit

ferit & ſauciat telis cupidinis, &c. in mortem æternam. Tela hæc ignea cupimus extingui in pretioſo ſanguine ſanctiſſimorum vulnerum. Tu mi Jeſu, amor crucifixe! tuis nos feri ſagittis, ecce nos tanquam ſignum ad ſagittam! illas cupimus accendi & ardere in cordibus noſtris, præcipuè aliquando in agone, inter vehementes mortis anguſtias.

§. 4. *Chriſtus crucifixus vulneratus cervus.*

Aurea ſagitta amoris crucifixi, dum ſauciat, magnam pariter ſitim accendit; hoc telo ſaucius, hâc ſiti accenſus dixit David, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Vulneratus & ſitibundus cervus fuit Chriſtus in cruce, cùm dixit: *Sitio.* Hoc vulnere vulnerari, hâc ſagittâ percuti, hâc ſiti accendi cupio meos ſodales. Hæc congregatio eſt cœtus vulneratorum cervorum ab aureâ ſagittâ amoris crucifixi, à cœleſti ſagittario. Itaque, ſi quis ſitit, veniat ad eundem, à quo læſus eſt, & bibat. Chriſtus D. ſic fuit locutus Joan. 7. 37. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Hoc agite mei ſodales! Ecce dulciſſimos fontes ſcaturientes ex SS. pedibus Crucifixi; ſitim, quam accenderunt tela inde emiſſa, in iiſdem ſedare & extinguere poteſtis. Ardent fortaſſis in cordibus veſtris illæ ſagittæ, quæ cœleſtis ſagittarius de cruce vibravit ex SS. manibus, vel ex benedicto corde. Eadem vulnera ſunt fontes, in quibus ſitim extinguere poteſtis. Aquæ vivæ, perennes, divinæ ſcaturiunt ex his venis & macerlis petræ. Hæc itaque ſunt vota noſtra; vulnerari ab aurea ſagitta amoris crucifixi; accendi, uri, ſitire, bibere ex fontibus Salvatoris, & mori.

§. 5. *Exuberans amor erga Crucifixum Quid ſit ille amor?*

Sed quis erit dignus tantâ gratiâ? ut ſic moriatur? audi ſanctum Baſilium, *Qui nullam reperit præſentis vitæ delectationem, ſed ad illum, quem diligit, medullitus ſuſpirat, fervet, anhelat, anxiatur.* Ita modo oremus noſtrum roſarium, ut nulla noſtra cogitatio dirigatur ad mundum; ſed ad ſolum Crucifixum, quem diligimus; ad hunc ſuſpiremus medullitus, ferveamus, anhelemus, anxiemur. Unum ex præcipuis deſideriis lego in Seraphicâ ſcholâ amoris, quæ ait, ſignum animæ amantis eſt, vivere & mori ſimul. Mori in ſe, vivere DEO; unde amor definitur, *Deſiderium animi morientis & viventis ſimul.* Talis amans fuit ſponſa, dum ait, *Amore langueo. 70. Vulnerata charitate ego ſum.* Alij, *occiſa charitate, mortua*

Digitized by Google

mortua caritate ego ſum. Cant. 1. & tamen dicebat, *dilectus meus mihi, ego illi, &c.* ſi eadem ſunt veſtra deſideria, ſodales amantiſſimi, mori aliquando cum Deo placuerit, ſed vivere ſimul in Chriſto Crucifixo, in SS. ejus Vulneribus, ſi ad hoc medullitus ſuſpiretis, ſi ferveatis, ſi interim toti incambatis amori Crucifixo; de morte ſancta, de felici æternitate nolite dubitare. Vulnera hujus amoris ſunt in vitam æternam.

Vulnerata, imò & mortua charitate fuit S. Thereſia, præſertim quando igneus de cœlo Seraph igneâ cuſpide vulneravit cor ejus. O Seraphini! veſtram opem hâc horâ imploro; videtis corda meorum ſodalium; nuda ſunt, aperta ſunt ex SS. Vulneribus, ex benedicto corde arripite auream, imò igneam ſagittam & me, meoſque ſodales ita vulnerate, ut vulnerati, ſitibundi vivamus in ijsdem SS. Vulneribus quàm diu Superis placuerit. Cùm verò moriendem erit, cupimus languere, cupimus eſſe vulnerati, occiſi, mortui charitate JEſu Crucifixi. Semper mihi placuit pictura Cordis S. Auguſtini; Vulneratus pingitur aureâ ſagitta, & ex Vulnere amoris erumpunt flammulæ: Hoc age mi JEſu Crucifixe; ſic vulnera & accende corda noſtra, ut ſub oratione Roſarij ex vulneratis, & accenſis cordibus in cœlum tendant mille aureæ & flammeæ ſagittæ amoris: hoc age, ut ſimus ſagittarij in Seraphica ſchola amoris, ſive in Congregatione Chriſti in Cruce Agonizantis.

§. 6. *S. Thereſia vulnerata à Seraphino. Vulneratum & ardens Cor. S. Aug.*

Cogor finire ſuaviſſimam materiam. Virgo ſancta, Virum ſanctum ſibi notum è Soc. JEſu, P. Petrum Cotonum, in piâ contemplatione vidit fulgore aureo collucentem, & ſagittas flammeas verſus SS. Euchariſtiæ ſacramentum, jaculantem. O ſi hâc horâ, præcipue ſub oratione Roſarij, hoc ſcemate videre mihi liceret, meos ſodales! ſub primâ & alterâ decade, jaculantes aureas ſagittas amoris, contritionis, &c. verſus Vulnera SS. pedum (ſic de 3. & 4. decade, & SS. manibus) ſub ultima decade verò jaculantes ſagittas verſus dulciſſimũ cor Jeſu in SS. Euchariſtia. Orationes Dominicas & ſalutationes Angelicas in piiſſimo hoc roſario, aliàs voco Roſas, nonnunquam lilia, ſubinde gemmas, modo cupio eſſe flammeas ſagittas tenerrimi erga Crucifixum JEſum amoris.

§. 7. *Epilogus, ſive adhortatio ad ardentem orationem.*

Digitized by Google

MENSE DECEMBRI.

SOL EST IN CAPRICORNO.

EXHORTATIO XII.

IN MENSTRUA CONGREGATIONE AD SODALES CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS; DE EJUSDEM INFINITO ERGA NOS AMORE.

In Charitate perpetuâ dilexi te.

Jeremiæ. 11. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AMor noſter erga Chriſtum crucifixum adeo fortis oportet eſſe, ut nihil, licet ſit duriſſimum & crudeliſſimum, nos ab eo ſeparet, & hoc exemplo Crucifixi, & ſic felicem atque ſuavem obtinebimus mortem.

§. 1. *Capricornus ultimum ſignum Zodiaci.*	§. 4. *Quis ſit amor fortis.*
§. 2. *Dilectio fecit Chriſtum mori.*	§. 5. *Varij amoris hujus effectus.*
§. 3. *Aut mori, aut pati, aut eſſe cum Chriſto.*	§. 6. *Votum Auctoris.*

§. 1. *Capricornus ultimũ ſignum Zodiaci.*

PRæſens exhartatio abſolvet meum curſum hujus anni 1665. per igneum & ſanguineum Zodiacum Amoris JEſu Crucifixi; & quidem in Capricorno, qui in Zodiaco cœleſti inter ſigna locum occupat poſtremum. Iis, qui vel modica S. litterarum eruditione ſunt tincti, ſine dubio ſtatim occurret; Cornua hujus animalis, ſicut & Monocerotis, vel Tauri, vel Unicornis, eſſe ſymbolum fortitudinis; ut hoc ſignum rurſum nos moneat, amorem Crucifixi erga nos, fuiſſe fortiſſimum, & talem debere eſſe noſtrum erga illum.

§. 2. *Dilectio fecit Chriſtum mori.*

Cant. 8. v. 6. dicitur, *Fortis eſt, ut mors dilectio.* LXX. *Valida eſt, ut mors charitas,* Theodoretus: *Fortior eſt morte dilectio,* Nam mors Chriſto Domino no-

no nocere non potuiſſet; niſi ex charitate voluiſſet mori; Unde S. Ambroſius l. 1. de Iſaac. c. 8. *Chriſtus Dominus exarſit dilectione erga genus humanum, ut ab ipſa morti ſubjectus ſit, quatenus dilectio mori eum fecit.* Dilectio fecit illum mortalem, dum ex amore in utero Virginis factus eſt homo; dilectio illum impoſuit præſepio, &c. Dilectio denique affixit cruci. In morte Chriſti variæ circumſtantiæ occurrunt, conſideratione digniſſimæ. Quis moriatur? quomodo moriatur? ubi moriatur? quando? quam mors illa fuerit doloroſa & pœnoſa, quam ignominioſa; Sed revera cogor dicere cum magno amatore Crucifixi, R. P. Vincentio Caraffa in ſuo Seraphico: *Cum cogito, quod Chriſtus pro me moriatur, ex ſola infinita dilectione extra me fio.* Nam quis, pro quo moritur? Deus pro me! Profecto fortis fuit dilectio, quæ eum pro me mori fecit. Scio dixiſſe S. Aug. l. 4. Confeſſ. c. 6. *Hic eſt modus amantium, velle pro invicem mori.* Tales amantes cum admiratione ſpectavit mundus. Sed quod Filius Dei pro nobis mori voluerit in cruce; hic fuit exceſſus amoris. Gaudeo meos ſodales eſſe ſolicitos, pro felici morte; dum enim deſiderant mori ſanctè, deſiderium illorum eſt, ut pro Chriſto, cum Chriſto, & in Chriſto moriantur amatores Crucifixi. Ut ſic etiam mors noſtra ſit fortis in dilectione Chriſti; ut Chriſtum quoque diligamus usque in finem. Amare Chriſtum crucifixum fortiter, eſt illum amare usque ad ultimum vitæ halitum. Ultima vox multorum amatorum Crucifixi fuit: *Amor meus Crucifixus eſt.* *Cur Chriſtus mori.*

Quoad Chriſto Domino conceſſum fuit mori in cruce, *triginta* tribus annis continuis fuit in paſſione & doloribus. Tota vita Chriſti continua fuit Crux. Hæc eſt aurea gnome & maxima in ſchola amoris ſeraphici, *aut mori & eſſe cum Chriſto, aut pati.* Hæc viciſſim eſt fortis dilectio, ſemper aliquid pati pro Chriſto. Patientia refrigerium amoris. Qui fortiter diligit JEſum, illi dulce eſt pro Jeſu pati. In ſchola amoris, gradus unus ex perfectiſſimis eſt, *Suſtinere infatigabiliter.* Vel, ut loquitur S. Paulus 1. Cor. 13. v. 4. *Charitas patiens eſt.* Ardens ſodalis Chriſti crucifixi, non eſt contentus pro obtinenda felici morte orare tantum, vel ſacra exomologeſi, atque etiam ſynaxi animam reficere: plus ultrà; Amor fortis pro JEſu ſuo crucifixo aliquid pati deſiderat. Delectatur & gloriatur in cruce, deſiderat prius pati, deinde mori & frui amato. Cum Deo placet, paratus eſt mori, ſed in lectulo crucis; paratus eſt occurrere pulſanti ſponſo, ſed in ſpinea corona, & ardenti lampade fortis amoris. Fortis, ut mors dilectio. In morte amans pati deſiderat, & pati eſt ſuave, &c. Gilbertus Ab. ſer. 2. in Cant. *Dulcis lectulus, cruci Chriſti lignum, in hoc nutrior & recreor - ſuaviſſimum mihi cervical, bone Jeſu, ſpinea illa capitis tui corona.* §. 3. *Aut mori, aut pati, aut eſſe cum Chriſto.*

Amor noſter erga Jeſum crucifixum fortis eſt, ſi ſit inſuperabilis, ſi nihil à charitate ejus nos ſeparare poſſit. Fortis in tali dilectione fuit S. Paulus, §. 4. *Quis ſit amor fortis?*

cum

cum dicere fuit auſus: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* ad Rom. 8. v. 36. q. d. Si ita nos Chriſtus Dominus dilexit & diligit, quomodo non viciſſim illum diligemus? ecquid erit, quod nos ab ejus amicitia & amore divellat? ideo voluntate fervida, heroica, conſtanti, aſſerit, quod nemo ſe ſuiq; ſimiles ſeparabit à charitate Chriſti. Perinde ac ſi amicus amicum ardentiſſimè amans, & pro eo mori paratus, diceret, *Quis me ſeparabit à te?* quin te ſequar usque ad mortem, uti de Nyſo à Euryalo narrat Virgilius. Sic Paulus tam ſuaviter, quam fortiter amans Chriſtum, ait: *Quis nos ſeparabit, &c.* & addit, *Sed in his omnibus ſuperamus*, id eſt, omnia, nuditatem, famem, &c. libenter patimur, *propter eum, qui dilexit nos*, tam ſuaviter & fortiter usque ad mortem crucis.

§. 5. *Varii amoru hujus effectus.* Suavem vim & violentiam, quâ amantis cor totum in Chriſtum crucifixum, quem amat, abripitur, eleganter deſcribit S. Bern. ſer. 79. in Cant. in illud cap. 3 *Num quem diliget omnia mea, vidiſtis.* Et talem amorem opto omnibus meis ſodalibus, ſic autem loquitur. *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter te; te contentus captivam ducis rationem & intellectum, mirabiliter triumphum agens rerum omnium. En omne quod cogitat iſta,* (ſponſa amans) *quod loquitur, te ſonat, te redolet, & aliud nihil; ita tibi ipſius & cor vendicaſti & linguam, &c.* Tales vos cupio ſodales amantiſſimi ſub oratione roſarii SS. vulnerum, ut præter Jeſum crucifixum, præter ejus vulnera & ſanguinem, præter amorem, pro nobis expirantis in cruce nihil cogitetis; ut pro ejus amore omnia contemnatis, ut omnia mundana ſint vobis tædio & faſtidio; tales vos cupio, ut memoriam, intellectum, voluntatem & corda alligetis ad crucem, ut coram cruce de mundo, de carne, de diabolo athletæ fortes pulcherrimum agatis triumphum. Tales vos cupio, ut quod cogitatis, quod amatis, ſit Jeſus crucifixus; hoc opto, ut hic idem ſibi vindicet cor & linguam. Verbo, ut ſitis alligati cruci, (ut alius optabat,) catenis, funibus, clavis. O mi Jeſu crucifixe, utinam his ipſis clavis, quibus affixus es cruci, me & meos ſodales ita cruci tuæ, & ſimul ignea catena fortiſſimi amoris, configere poſſem, ut nec ipſa mors nos ſeparet à te, ſed uniti tibi maneamus in omnem æternitatem.

§. 6. *Votu n Auctoris.* Hoc eſt, quod precor animitus. O utinam mi Jeſu, ſic tibi, tuæque cruci alligemur! ecquid enim nos ita alligatos ſeparabit? Si amor pro nobis, quis contra nos? amore Jeſu fortius nihil, nihil ſuavius, nihil felicius. Amoris vincula ſunt plus quam adamantina. Bene habet! percurrimus duodecim ſigna Zodiaci, vel potius percurrimus duodecim divini amoris ſymbola. Finitur annus, ſed non amor! æternus eſt tuus amor mi Jeſu! utinam & meus. Cum hoc voto finem impono meæ dictioni, ſed non amori; Vive interim mi Jeſu in me, & ego vivam in te. Vive memor mei; vivam & ego tui, & tecum dum vivam, tui amoris Zodiacum, amando percurram.

FINIS.

ROMA VITTORIO EM.

Digitized by Google